BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 A
15
XII. n° 25
14-23. a. 19

# ARGVMENTA
# SELECTA

Ad Studentium commodiſſimum vſum concinnata

CIRCA PRIMARIAS

## PHILOSOPHIÆ QVÆSTIONES

*REV. P. MAGISTRI*

*SCIPIONIS RICCIARDI*

*Neapolitani Carmelitæ Sac. Theol. Regentis*

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Domino

## D. FABRITIO SPADA

S. R. E. Card. ampliſs.

Nec non SS. D N. Innocentij XI. Status Vrbinenſis Legato à Latere meritiſſimo.

---

Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1685.

*Superiorum permiſſu.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# EMINENTISSIME, AC REVERENDISS. PRINCEPS.

*GLadium vibrat ingenium, quoties argumentum in pacificum Aduerſarium Palladis in Paleſtra decertans, pra viribus iacit; acuit*

*enim veluti telum proprium cogitatum, vt alterius feriat mentem, mens Arguentis; Ferit, & quampluries, ſanguis in alterius vultus rubore diffunditur, quinimò eatenus ſauius experitur vulnus, quatenus nobilior eſt pars rationalis, nimirum portio, quæ intrinſecus vulneratur.*

*Huic telo veluti clypeus ſolutio reſiſtit; Arguens percutit obiectionis*

*nis miſſili ferro; Subſti-nens reſponſionis ſcuto ſe munitue, protegit; & gladios, & clypeos Libellus hic vnus habet Eminentiſsime Princeps, qui iure Tuæ generoſitatis omen, nomenque ambit. Si argumentum eſt gladius, cui potius* Argumenta Selecta *dicari debebant niſi eo Principi, qui glorioſiſsimum ſtemma tribus gladijs ornatum oſtentat?* Spada *es, protege ergo quos tibi di-*

*co gladios. At protectio ipſa clypeus eſt, quam igitur iure, qui* Vtrumque præbes *Libellum hunc tueri debes à criticorum ictibus, qui ſæpè ſæpius naturā actuum immanentium imitantur, recipiuntur ſiquidem in ijſdem à quibus liuidè promanare principijs.*

*Munuſculum ne deſpicias humillime precor; ſicuti enim mei debiti eximium pondus nequit*

*exo-*

*exoluere, ita, & mei cordis, deſiderium ingens adæquare minimè queit; non Librum, non volumen, uti deberem, ſed Libellum Eminentiæ Veſtræ conſecro; at quid ingeniolum parere niſi Libellum poterat? animum ergo ſuſcipe, non donum, aliud boni non continens, niſi Eminentiæ Veſtræ inclitum nomen, cui me totum in æternum obſequij pignus humillimè exibeoque, di-*

*co: Bononiæ è Carmelo S. Mariæ Gratiarum Kal. Februarij 1685.*

*Eminentiæ Tuæ.*

Addictiſſimus, ac Humillimus.
*Fr. Scipio Ricciardi Carmelita.*

# TYRONIBVS
## CARMELITIS.

VEſter eſt Libellus hic, Amiciſſimi Iuuenes, ad veſtrum etenim commodiorem vſum concinnatus, non Præceptorum plauſus, quos trahere nequit, ſed Studentium profectũ dum-

taxat præ viribus ambit. Veſtrum ergo non meretur contemptum, ſpernite ſi lubet ingenium, at voluntatem Authoris veſtræ vtilitatis ardentiſſimè cupientis, hilari vultu, gratoque corde recipite. In his folijs gladios, clypeoſque ſimul habebitis, Argumenta ſcilicet, & ſolutiones. Claritatem in dicendo apprimè affectaui, vt ſpeculationes phraſibus,

ob-

obſcuriores non redderentur. Plurima Argumenta vetuſta eſſe, fateor; ſenectus autem, quãtumuis ſæculis menſuretur, eorum haud minuit robur. Multa recentia eſſe inuenietis; hæc ſiquidem Temporum tempeſtas nouitatibus gaudet. Si rectè animaduertetis, compendiolum totius Philoſophiæ Libellus hic, retinet. Præcipuas Quęſtiones diſcuſſas, famo-

ſiora aſſerta impugnata, & propugnata continet; interdum ſolutiones deſunt, non quia me lateant plurium Authorum reſponſa, ſed quia inſuficientia ea eſſe, ſum opinatus. Hoc vnum ſaltem habebitis, nimirum promptam obiectionem, cum opus eſt in ſcolaſticis exercitationibus non omninò contemptibilem proponere. Interim Libellum alium longe plura

Ar-

Argumenta Theologica amplectentem, expectate, dummodo hic lubeat, ſecus, Alpha, & Omega hic vnus vobis erit. Valete.

AP-

# APPROBATIO

*Adm. Reu. Patris Mag. Eliæ Nayman Poloni S. Theol. Doct. olim Prouinciæ Poloniæ Commiſſarij Prouincialis, nunc verò Prouinciarum Romandiolæ, atque Piceni Definitoris, & Conuentus S. Mariæ Gratiarum Bononiæ Moralis Theol. Lectoris.*

EX Commiſſione Reuerendiſſimi P. Mag. Angeli Monſignani totius Carmelitarum Ordinis Generalis. ſumma mei animi alacritate perlegi Librum cuius titulus. *Argumenta Selecta*; à Reu. P. Mag. Scipione Ricciardi huius Conuentus S. Mariæ Gratiarum Bononiæ Regente, compoſitum, & in eo nedum quid-

quidquam Catholicæ verita-
ti, ac bonis moribus diſſonum
non reperi, verum, ſpecula-
tionum profunditatem, vna
cum eleganti ſtili claritate
ſum admiratus. Argumenta,
& Solutiones circa præcipuas
Philoſophiç Quęſtiones Libel-
lūs hic retinet, vnde cum vi-
deatur claudere gladios acu-
tiſſimos, impenetrabileſque;
clypeos, Dauidicæ Turri non
reputatur diſſimilis, quando-
quidem *mille clypei pendent
ex eo, omnis armatura fortium*;
dignum ergo luce eum cēſeo,
vt maiorem luci lucem au-
geat. E' Conuentù S. Mariæ
Gratiar. Bononiæ die prima
Nouembris 1684.

*Ego Fr. Elias Nayman,
qui ſupra.*

*Fr.*

# FR. ANGELVS MONSIGNANVS

## Sac. Theol. Magiſt.

*Ac humilis Prior Generalis totius Ordin. Fratrum Beatiſs. Dei Genitricis ſemperq; Virg. Mariæ de Monte Carmelo antiquæ Obſeruantiæ Regularis.*

AVctoritate Noſtra præſentium tenore Tibi R. P. Magiſtro Scipioni Ricciardi noſtri Conuentus Maioris Neapolis Alumno Sacerdoti, & in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ Gratiarum Bononiæ Regenti facultatem impertimur, quantum ad Nos ſpectat, Typis mandandi Librum, cuius Titulus *Argu-*

*menta*

*menta Selecta*, circa varias, ac principaliores Quæſtiones Philoſophicas, à Te conſcriptum, & à Theologo noſtri Ordinis ex Commiſſione noſtra reuiſum, & approbatum; ſeruatis tamen aliàs ſeruandis. Horum fide, &c. Datum Foroliuij die 8. Nouembris. 1684.

*Fr. Angelus Monſignanus.*
*Generalis Carmelit.*

***Fr. Franciſcus Antonius Goſlinelli ProSecretarius.***

**Vi-**

Vidit D. Mauritius Giribaldus Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Metropolitana Bononienſi Pænitentiarius pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D. D. Ioſepho Muſotto Vicario Capitulari.

*Imprimatur*

Fr. Petrus Martir à Bononia Sac. Theol. Mag. & S. Officij Bonon. Pro Vicarius.

IN-

# INDEX

## ARGVMENTORVM


*Argumentum probans Logicam non eſſe adæquate practicam.* pag. 1.

*Argum. probans non dari ens rationis obiectiuum.* 5.

*Aliud Argum. probans non dari ens rationis obiectiuum.* 9.

*Argum. probans dari ens rationis obiectiuum.* 16.

*Argum. probans Deum efficere ens rationis obiectiuum.* 23.

*Argum. probans non dari vniuerſale à parte rei.* 30.

*Argum. probans dari vniuerſale à parte rei.* 36.

*Argum. probans non dari relationes diſtinctas.* 45.

*Argum. probans, ens eſſe vniuocum.* 49.

*Argumen. probans, materiam primam habere propriam exiſtentiam*

*tiam.* pag. 55.
*Argumen. probans, materiam primam carere propria exiſtentia.* 61.
*Argum. probans, formas materiales, non præcontineri in materia ſecundum eſſe ſeminale.* 65.
*Argum. probans, dari vnionem diſtinctam in compoſito.* 72.
*Argum. probans, non dari vnionem diſtinctam in Compoſito.* 88.
*Argum. probans, non dari reſolutionem vſque ad materiam primam.* 92.
*Argum. probans, dari tertiam entitatem Scoti.* 100.
*Argum. probans dari formam ſubſtantialem materialem Corporis in viuentibus.* 108.
*Argum. probans, actionem diſtinctam.* 122.
*Argum. probans ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operatiuam.* 133.
*Argum. probans, ſubſtantiam creatam non eſſe immediatè operatiuam.*

*tiuam.* 143.
*Argum. probans, non poſſe duas Cauſas totales producere eundem numero effectum, nec de potentia Dei abſoluta.* 148.
*Argum. probans, dari ſeriem determinatam effectuum in Cauſis creatis.* 154.
*Argum. probans implicantiam infiniti in actu.* 161.
*Aliud idem probans.* 169.
*Aliud, idem probans.* 183.
*Aliud idem probans.* 190.
*Argumen. probans infinitum in actu.* 196.
*Aliud, idem probans.* 205.
*Argum. probans ſubſtantiam materialem habere ex ſe partes.* 216.
*Argum. probans non poſſe idem Corpus eſſe in duplici loco circumſcriptiuè.* 224.
*Argum probans poſſe idem corpus eſſe in duplici loco circumſcriptiuè.* 231.
*Argum. probans poſſibilitatem Rei nullibizatæ.* 233.
*Ar-*

*Argum. probans eſſentiam, & exiſtentiam Creaturæ non diſtingui realiter.* 304.

*Argum. probans, Ariſtotilem, non probaſſe efficaciter continuum conſtare ex partibus.* 243.

*Argum. probans, Creaturam principaliter creantem implicare.* pag. 251.

*Argum. probans, Mundum, nec quò ad permanentia potuiſſe produci ab æterno.* 258.

*Argum. probans, non dari diſtinctionem formalem Scoticam.* pag. 263.

*Argum. probans, dari diſtinctionem formalem Scoticam.* 273.

*Argum. probans, diſtinctionem virtualem Thomiſtarum.* 283.

*Argum. probans eſſentiam, & exiſtentiam Creaturæ diſtingui realiter.* 294.

*Argum. probans, ſubſiſtentiam creatam non conſiſtere formaliter in negatione.* 311.

*Argum. probans, ſubſiſtentiam non* com-

*complere naturam in ratione eſ-
ſendi in ſe, & per ſe.* 317.
*Argum. probans ſubſiſtentiam non
reddere naturam alteri incomu-
nicabilem. pag.* 314.
*Argum. probans ſubſtentiam non eſ-
ſe complementum naturæ ſubſtan-
tialis.* 328.
*Argum. probans poſſibile ab æterno
non eſſe nihil in ſe.* 331.
*Argum. probans poſſibile ab æterno
non eſſe aliquid in ſe.* 337.
*Argum. probans non dari à parte
rei priuationes, & negationes.
pag.* 342.

*Poſt quodlibet Argumentum ſuam
ſolutionem, vt plurimum
reperies.*

*Er-*

| | *Errata.* | *Corrige.* |
|---|---|---|
| pag. 14 | eſſet | eſſe |
| 32 | modus | nodus |
| 47 | al quod | aliquod |
| 52 | formal te | formaliter |
| 57 | irreceptabilis | irreceptibilis |
| 80 | indiſtantiam | indiſtantia |
| 81 | rem | eam |
| 95 | eſſentialæ | eſſentiolæ |
| 118 | veleat | valeat |
| 243 | *probaſ se* | *probaſſe* |
| 253 | gelo | Angelo |
| 255 | credibile | creabile |
| 281 | & | eſt |

Alias errores breuioris momenti ex te ipſo corriges benigne Lector.

# ARGVMENTVM PRIMVM.

*Contra dicentes, Logicam eſſe adequatè practicam.*

QVI aſſerit Logicam eſſe adequatè practicam, aſſerit implicitè logicam eſſe inadequatè ſpeculatiuam, ergo aſſerit quod negat.

Prob. ant. Qui aſſerit logicam eſſe adequatè practicam probat quod aſſerit, ergo aſſerit logicam eſſe inadequatè ſpeculatiuam.

Pr. conq. Qui probat logicam eſſe adequatè practicam conficit argumentum quò id probat, ergo velit, nolit aſſerit logicam eſſe partim ſpeculatiuam.

Prob. conſ. Hoc argumentum quod conficit, vt demonſtret logicam eſſe totaliter practicam, eſt etiam logica, ſed hoc argumen-

tum eſt ſpeculatiuum, ergo iam demonſtrat logicam eſſe aliquo modo ſpeculatiuam.

Pr. min. Illa cognitio eſt ſpeculatiua, quæ, nec eſt directiua, nec confectiua alicuius operis, ſed argumentum quò probatur logicam eſſe practicam, ex vna parte eſt cognitio, quia eſt operatio intellectus, ex alia parte non eſt cauſa, nec directiua, nec confectiua praxis logicæ, ergò hoc argumentum eſt cognitio logicalis ſpeculatiua.

Pro. mi. Nam non ideò logica eſt practica, quia datur hoc argumentum ipſius praxim demonſtrans; nam tù probas logicam eſſe ex natura ſua practicam, ergo eſt practica independenter ab hoc argumento, ergo hoc argumentum ex vna parte eſt cognitio, imò logicalis quia eſt iuxta regulas logicæ, ex alia parte non eſt principium ex quò reſultet ratio praxis, quæ eſt in logica, ergo eſt

cogni-

cognitio logicalis ſpeculatiua; quia teſtè Philoſopho 3. de anima *cognitio practica eſt principium operis*, & ſic à primo ad vltimum, datur aliqua logica ſpeculatiua, vnde falſum eſt eam eſſe adequatè practicam.

## *Soluitur.*

ET faciliter, aduertendo quod illud argumentum, quo probatur logicam eſſe practicam, non eſt logica formalis, ſed obiectiua, eſt enim obiectum logicæ, non actus logicalis: actus ſiquidem logicalis non eſt actù arguere, ſed eſt cognitio quà tradimus, vel quà regulas exercemus prò confectione argumẽti, primo modo habetur actus logicæ docentis, ſecundo modo habetur actus logicæ vtentis: vnde in illo argumento quò probatur praxis logicæ, diſtinguere debes, & cognitionem regulatiuam intellectus ad argu-

mentum conficiendum, & hæc eſt logica formalis, quæ cum ſit regulatiua, eſt vtique practica; & argumentum ipſum confectum, quod eſt logica obiectiua, quæ ſatis eſt ſi fiat per illam cognitionem, vt dicatur obiectum practicum, & non requiritur, vt conficiat. Porrò hoc argumentum eſt obiectum, & eſt actus, obiectum reſpectu logicæ formalis, quam ſupra explicuimus, & eſt actus reſpectu alterius obiecti, ſcilicet reſpectù praxis logicæ; prout eſt obiectum, eſt obiectum practicum, quia factibile, & dirigibile per traditionem, vel per vſum regularum logicalium; prout eſt actus non ſolum non eſt logica, verum nec etiam eſt ſcientia, ſed opinio; quia opinamur, logicam eſſe practicam; & ſic ſoluitur difficultas.

AR-

# ARGVMEMTVM II.

*Contra Fautores entis rationis obiectiui.*

SI daretur ens rationis obiectiuum, maxime quia intellectus vniret duas naturas incompoſſibiles v. g. naturam Hirci, & naturam Cerui dicendo Hircus eſt Ceruus, ſed vniò inter duas naturas incompoſſibiles eſt ens reale, ergo non datur ens rationis obiectiuum.

Prob. min. Non minus ſunt incompoſſibiles natura humana, & natura Diuina, quam natura Hirci, & natura Cerui, ſed vnio inter naturam humanam, & Diuinam eſt ens reale, ergo etiam vnio inter naturam Hirci, & naturam Cerui eſt ens reale.

Minor patet; Eſt enim de fide in Chriſto Domino naturam humanam, vnitam eſſe cum Diuina.

Prob. igitur ma. Magis di-

ſtant inter ſè Naturæ humana, & Diuina, quam naturę Hirci, & Cerui, nam hæ diſtant finitè, illæ vero diſtant infinitè, ergo magis ſunt incompoſſibiles illæ, quam iſtæ; quò euidenter probato.

Proſequitur argumentum, Homo Deus reſultans ex vnione duarum naturarum humanæ, & Diuinæ, eſt ens realiſſimum, alioquin Chriſtus eſſet ens rationis, ergo pariter Hircoceruus reſultans ex vnione naturarum Hirci, & Cerui eſt ens realiſſimum propter omnimodam paritatem.

Reſpondent aliqui ad hoc argumentum potius ridiculum, quam difficile; in Chriſto non eſſe immediatè vnitas duas naturas, ſed naturam humanam cum perſona Verbi Diuini, & concomitanter tantùm hanc vnionem extitiſſe inter naturas, & quia humanitas, & Perſona Diuina habent rationem terminantis, & terminabilis, ideò inferunt in Chri-

ſto

ſto non fuiſſe vnita incompoſſibilia; at verò in Hircoceruo vniuntur immediatè ipſæ Naturæ, quæ ſunt incompoſſibiles, vnde ex hac vnione, non ex illa ſequitur chymera.

Non ſatisfacit; quia ſiue mediatè, ſiue immediatè vnitæ fuerint Natura Diuina, & Humana, sēper ex vnione ipſarum ſequitur HomoDeus, ſicuti ex vnione Hirci, & Cerui ſequitur HircoCeruus, ſed HomoDeus eſt ens reale, ergo etiam HircoCeruus.

Prob. con. Quia Hircoceruus non eſt ens rationis per eius fautores, quia in ipſo vniantur immediatè naturæ Hirci, & Cerui, ſed præciſè quia, in ipſo naturæ incompoſſibiles ſunt vnitæ, ſed in Homine Deo naturæ magis incompoſſibiles ſunt vnitæ, ergo à fortiori erit ens rationis HomoDeus, ac Hircoceruus, vel ſi ille eſt ens reale, ens reale erit, & iſte.

### *Soluitur.*

HOC argumentum eſt pro Tyronibus, non aduertentibus ens rationis non haberi per vnionem duarum naturarum, ſed per identificationem; non enim intellectus ignorans, fingit dicendo Hircus eſt vnibilis, vel vnitus cum Ceruo, nam hoc habet eſſe poſſibile à p. r. ſed fingit dicendo Hircus eſt Ceruus; tò, eſt, non vnit, ſed identificat; hinc eſt quod ſi dicam materia eſt forma, fingo, ſi verò dicam materia vnitur cum forma non fingo, cum ergo Chriſtus non ſit homo Deus per identificationem, ſed per vnionem naturarum, ideo non eſt ens rationis ſicuti eſt Hirco Ceruus; & ſoluitur hæc apparens difficultas.

# ARGVMENTVM III.

*Contra eoſdem Fautores entis rationis.*

IN hac propoſitione Hircus eſt Ceruus, nullum habetur ens rationis obiectiuum ergo abſolutè, & ſimpliciter non datur.

Prob. ant. in hac propoſitione Hircus eſt Ceruus adſunt termini, & copula, ſed termini ſunt reales, copula eſt realis, ergo in hac propoſitione Hircus eſt Ceruus nullum habetur ens rationis.

Prob. min. de terminis. Termini huius propoſitionis Hircus non eſt Ceruus ſunt reales, ergo etiam termini huius propoſitionis Hircus eſt Ceruus ſunt reales.

Prob. con. Iſtæ propoſitiones Hircus eſt Ceruus, & Hircus non eſt Ceruus ſunt contradictoriæ ergo habent eoſdem terminos, ſed termini ſecundæ propoſitionis ſunt reales, ergo etiam termini

primæ propiſitionis ſunt reales.

Ma. patet, quia vna negat quid quid altera affirmat, vna eſt vera, altera, falſa ergo ſunt propoſitiones contradictoriæ; præter quam quod poſſunt ſic confici nullus Hircus eſt Ceruus, aliquis Hircus eſt Ceruus, & ſic ſeruabunt omnes regulas propoſitionum contradictoriarum.

Quod etiam copula ſit realis, probatur expreſsè, quia copula eſt identificatio, identificatio non eſt forma media, aliòquin eſſet inter vnum, & aliud, non inter vnum, & idem, & ſic non eſſet identificatio, ſed potius forma diſtincta, ergo identificatio inter Hircum, & Ceruum, non eſt aliud niſi Hircus, & Ceruus, ſed Hircus, & Ceruus ſunt termini reales, ergo etiam copula eſt realis.

Reſpondent aliqui propoſitiones illas non eſſe contradictorias, quia vna habet pro obiecto ens reale, & alia ens rationis.

Hæc

Hæc non eſt reſponſio, ſed manifeſta petitio principij; controuertitur enim an detur ens rationis ergo non poteſt reſponderi propoſitiones illas non eſſe contradictories eo quia, vna appellet ſupra ens rationis, & alia ſupra ens reale præter quam quod non poſſent vnquã aſſignari propoſitiones contradictoriæ, quia dè omnibus valeret hæc ratio.

Reſpondent Alij propoſitiones illas eſſe contradictorias, ſed non habere eoſdem terminos formales, bene tamen materiales, & hoc dicunt ſufficere ad hoc vt ſint contradictoriæ.

Hæc non eſt reſponſio, ſed effugium, quia deſtruit regulas ab omnibus Summuliſtis aſſignatas prò contradictione; *contradictio enim, eſt eiuſdem, de eodem, ſecundum idem*, ergo requiritur, vt termini propoſitionum contradictoriarũ etiam formaliter ſint ijdem; alioquin ſi dicerem Canis latrat,

Canis non latrat eſſent contradi- ctoriæ etiamſi vna appellaret ſupra Canem terreſtrem, & alia ſupra marinum; quia etiam data hac diuerſa appellatione formali, illi tamen termini Canis,& Canis ſunt materialiter ijdem.

*Soluitur.*

HOc argumentum quod multorum torſit ingenia facilis mihi videtur ſolutionis, dico igitur quod illæ duæ propoſitiones Hircus eſt Ceruus, & Hircus non eſt Ceruus tunc ſunt contradictoriẹ quando ambæ ſumuntur in eodem ſtatu, ſiue reali, ſiue intentionali; at ſi vna ſumatur in ſtatu reali, & altera in ſtatu intentionali, ſcilicet vt appræhenſa ab intellectu, tunc propter diuerſitatem ſtatuum non ſunt contradictoriæ: vnde claritatis gratia ſumamus vnam ex illis; Hircus eſt Ceruus. Hæc in ſtatu reali accepta

pta, opponitur contradictoriè illi aliæ, Hircus non eſt Ceruus, Pariter in ſtatu reali acceptę; quare? quia illa propoſitio, Hircus eſt Ceruus, ſumpta in ſtatu reali, eſt falſa, ergo contradicitur huic Hircus non eſt Ceruus etiam in ſtatu reali ſumptæ, nam hæc realiter eſt vera, & cum neceſſario requiratur ad propoſitiones contradictorias, vt vna ſit falſa, & altera vera, ideo hæ propoſitiones ambæ realiter acceptę ſunt contradictoriæ,& perinde habent eoſdem terminos, ſcilicet Hircum realem, & Ceruum realem; nam in ordine ad hos terminos reales, vna ſcilicet, Hircus non eſt Ceruus, eſt vera, & altera ſcilicet, Hircus eſt Ceruus, eſt falſa; ecce ſaluatur contradictio,& identitas omnimoda terminorum; At ſumamus nunc eas in ſtatu intentionali, & mutabitur ordo; nam illa, quæ realiter eſt vera,ſcilicet Hircus non eſt Ceruus, in-

ten-

tentionaliter, hoc eſt exiſtimatiuè eſt falſa, & altera, quæ realiter eſt falſa, ſcilicet, Hircus eſt Ceruus, intentionaliter, & exiſtimatiuè, eſt vera, putat enim intellectus Hircum eſſe Ceruum dummodo ipſi aſſentitur, ergo putat eſſe falſum, Hircum non eſſe Ceruum vt de ſe patet; in hoc ſtatu intentionali ſunt pariter contradictoriæ, & habent eoſdem terminos nempe Hircum fictum, & Ceruum fictum in ordine ad quos vna eſt vera, & altera falſa exiſtimatiuè; ergo hæc propoſitio (Hircus eſt Ceruus) eſt vera exiſtimatiuè; ergo debet dari obiectum in ordine ad quod ſit exiſtimatiuè vera, quod obiectum non poteſt eſſe Hircus realis, & Ceruus realis, nam hoc eſt obiectum falſificatiuum iſtius propoſitionis, Hircus eſt Ceruus, vt euidens eſt; ergo debet eſſe, Hircus fictus, & Ceruus fictus, & ſic ſaluo propoſitiones eſſe, contradictorias, habere

bere eoſdem terminos, & dari ens rationis obiectiuum. quò poſito.

Reſpondeo in forma. Diſtinguo antec. in hac propoſitione, (Hircus, eſt Ceruus) sũpta vt falſa realiter nullum habetur ens, rationis obiectiuum. Conc. antec. Sumpta vt vera exiſtimatiuè nullum, &c. N. ant.

Ad probationem, eodem modo diſtinguo minorem termini ſunt reales, termini falſificantes illam propoſitionem Con. termini verificantes ſunt reales N. mi.

Ad aliam probationem diſtinguo ant. ſumptæ in eodem ſtatu C. in diuerſo N. Cum ergo hæc propoſitio (Hircus eſt Ceruus) non ſolum poſſit ſumi, vt falſa in ſtatu reali, ſed etiam, vt vera in ſtatu intentionali, hinc ſequitur dari obiectum etiam intentionaliter verificatiuum illius, quod erit Hircus, & Ceruus ficti ſcilicet Hircoceruus.

# ARGVMENTVM IV.

*Contra negantes ens rationis obiectiuum.*

INtellectus non poteſt aſſentiri falſo cognito à ſe falſo ergo datur ens rationis obiectiuum. Ant. patet, quia obiectum adequatum intellectus eſt ens verum, ſiue reale,ſiue apparens, ſed quod eſt falſum, & cognoſcitur, vt falſum, neque eſt verum reale, neque apparens, ergo quod eſt falſum, & cognoſcitur, vt falſum non eſt capax aſſenſus intellectus.

Prob. con. Intellectus Ethnici aſſentitur huic propoſitioni Datur alius Deus, ergo iſta propoſitio eſt vera ſaltem apparenter,hoc eſt ſecundum exiſtimationem aſſentientis, ergo datur ens rationis obiectiuum.

Prima conſ. Non videtur negabilis ſuppoſito quod omne obiectum trahens aſſenſum intel-

lectus

lectus ſit aliquo modo verum.

Secunda conſeq. prob. Illa propoſitio (Datur alius Deus) eſt vera ſecundum exiſtimationem ipſi aſſentientis, ergo debet dari obiectum in ordine ad quod ſit vera ergo debet dari ens rationis obiectiuum.

Prima conſ. patet, quia omnis propoſitio vera in ordine ad aliquod obiectum eſt vera.

Secunda conſeq. Probatur expreſsè, hoc obiectum in ordine ad quod hæc propoſitio (Datur alius Deus) eſt vera, non poteſt eſſe Deus realis, quia Deus realis, eſt vnicus, & ſolus, ac proinde, in ordine ad Deum realem vnicum, & ſolum, falſiſſima eſt propoſitio Deos multiplicans, vt patet, ergo obiectum in ordine ad quod propoſito illa eſt vera, debet eſſe alius Deus à reali, ergo Deus fictus, & hoc eſt ens rationis obiectiuum; quia hic alius Deus eſt obiectum illius propoſitionis, ip-

ſam

ſam verificans, quod obiectum, cum nullum habeat, vel habere poſſit eſſe à parte rei, & habeat tantum eſſe cognitum, erit ipſiſſimum ens rationis, quod dicitur illud, *quod habet tantum eſſe obiectiuum in intellectu*.

Reſpondent aliqui; illam propoſitionem eſſe eſſentialiter falſam, & nullo modo poſſe eſse veram, ac proinde non dari hunc Deum fictum in ordine ad quem ſit vera.

Sed hæc reſponſio eſt penitus nulla, quia vt probatum eſt omnis propoſitio, quæ trhait aſsenſum intellectus neceſsariò debet habere aliquam veritatem, ac proinde aliquod obiectum verificatiuum; (Datur alius Deus) hæc eſt propoſitio, quæ trhait aſsenſum, ergo, &c.

Reſpondent Alij, intellectũ aſſentientis illi propoſitioni, non fingere alium Deum, ſed tantum non diſtinguere, an verus Deus

ſit

ſit vnicus, vel multiplex, ac proinde non facere ens rationis, ſicuti non efficit ens rationis ille, qui eminùs videt animal, & non diſtinguit, an rationale, vel rugibile ſit.

Sed contra; Quia videns animal, & non diſtinguens differentiam præciſiuè ſe habet, nec affirmat ipſum eſse rationale, nec rugibile, ſed Ethnicus affirmat duos dari Deos, ergo non præciſiuè ſe habet, ac proinde exemplum adductum non eſt ad rem.

Secundo, ſiue Ethnicus diſtinguat, vel non diſtinguat verum Deum eſſe vnicum, certum eſt ipſum putare illam propoſitionem eſſe veram, ergo debet dari alius Deus putatus, & fictus in ordine ad quem propoſitio ſit putatiuè vera, nam in ordine ad Deum verum eſt falſiſſima.

*Soluitur.*

ADuertendo quod Verbum mentis nullo modo diſtinguitur ab ipſa cognitione obiecti, nam expreſſio obiecti idem eſt omnino, ac obiectum expreſſum, ex quò ſequitur, omnem cognitionem, eſſe ſpeciem expreſſam, ſeù verbum mentis; itaque alius Deus cognitus, eſt omninò idem cum cognitione alius Dei, cum ergo cognitio alius Dei ſit ens reale, ſed falſum, infertur quod etiam ipſe alius Deus ſit ens realiter falſum; quid ergo eſt cognitio alterius Dei? eſt cognitio falſa veri Dei; quid eſt alius Deus affirmatus? eſt verus Deus falſiſſimè cognitus. Ergo affirmans dari alium Deum, nil aliud facit, niſi falsò cognoſcere Deum verum, ſed falſa cognitio Dei veri, non eſt ens rationis obiectiuum, vt patet in Imagine, quæ falsò

re-

repreſentat verum Pontificem, ergo non datur hoc ens rationis obiectiuum; præter quam quod dummodo hic alius Deus cognitus, nihil aliud ſit etiam per arguentem, niſi cognitio eiuſdem, & cum cognitio habeat etiam eſſe ſubiectiuum, ſequitur quod etiam alius Deus habeat etiam eſſe ſubiectiuum, ac proinde non ſit ens rationis, quod definitur eſſe illud, *quod habet tantum eſſe obiectiuum in intellectu;* Neque dici poteſt quod alius Deus habeat eſſe diſtinctum à cognitione, quia hoc aliud eſſe, dummodo non eſſet, ſolum eſſe cognitionis deberet eſſe, ens reale, vel aliquid medium inter eſſe reale, & eſſe cognitionis, quod non eſt aſſignabile; & licet Aduerſarius ſemper repetat, Alium Deum non eſſe ens reale, neque eſſe, ſolam cognitionem, ſed eſſe fictum diſtinctum ab eſſe reali, & ab eſſe cognitionis, nihilominus non poteſt explicarè quid
ſit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſit hoc ens fictum, hoc Idolum; niſi recurrat ad id quod comuniter dicunt fautores entis rationis, ſcilicet, quod ſit *id quod habet tantum eſſe cognitum*, ex quo conuincitur, quod alius Deus, non ſit aliud niſi pura cognitio falſa Dei veri, ſed hæc non eſt ens rationis niſi tantum formale, quia habet etiam eſſe ſubiectiuum in intellectu, ergo &c.

In forma Reſp. C. ant. & N. C. Ad probat. C. ant. & primam C. & N. ſecundam. Ad aliam probat. C. ant. & C. dico quod obiectum in ordine ad quod illa propoſitio, Datur alius Deus, eſt vera apparenter, non eſt Deus fictus, ſed Deus realis falſiſſimè cognitus, nam illa propoſitio, eſt vera apparenter, & falſa realiter, vt falſa realiter, habet prò obiecto Deum realem, vt eſt in ſe, quia ideo falſa, quia non conformatur cum Deo ſicuti eſt à p. r. vt vera apparenter, habet prò obiecto;

Deum

Deum realem falſiſſimè apprehenſum; prius enim intellectus falſo apprehendit Deum realem, vt duplicem, & poſtea aſſentitur iudicio aſſerentis dari alium Deum. Si hæc reſponſio non ſatisfacit, ſcias neque mihi ſatisfacere, ſum enim contrariæ opinionis, quia tamen meliorem ſolutionem, nec audiui, nec vidi, ideo hanc tribui, quæ licet non omninò adequet ingenium, attamen in diſceptationibus optimè ſubſtinetur.

# ARGVMENTVM V.

*Contra admittentes ens rationis, vt factibile à Creatura non verò, vt factibile ab intellectu Diuino.*

ILle intellectus ens rationis efformat, qui tribuit impoſſibili purum eſſe cognitum, ſed intel-

lectus

lectus Diuinus tribuit impoſſibili purum eſſe cognitum, ergo efformat ens rationis.

Prob. mi. Intellectus Diuinus cognoſcit nondari alium Deum, ergo dat eſſe cognitum alteri Deo ergo dat eſſe cognitum impoſſibili.

Reſpondent, intellectum Diuinum dare eſſe cognitum extrinſecum, non intrinſecum alteri Deo, ac proinde non efformare ens rationis, intellectum verò creatum dare eſſe intrinſecum, adeoque formare ens rationis.

Non intelligo hanc reſponſionem, quod nam eſt eſſe cognitum intrinſecum? nonnè vniuerſaliter denominatio cogniti eſt denominatio extrinſeca? ergo non minus intellectus Diuinus quam Creatus dat alteri Deo eſſe cognitum extrinſecum. quare eſſe cognitum, quod tribuitur ab intellectu creato vocas intrinſecum? forſitan, quia intellectus creatus cognoſcit

gnoſcit aliū Deum, vt exiſtentem? at abuteris terminis, nā aliud eſt intellectum creatum tribuere eſſe cognitum falſum, quod admitto, & aliud eſt quod tribuat eſſe cognitum intrinſecum, quod repugnat in terminis; cnm vniuerſaliter, eſſe cognitum, dicat formam receptam in cognoſcente, non in obiecto; igitur ex hoc ſequitur Deum non tribuere eſſe cognitum falſum, quia cognoſcit alium Deum, vt repugnantem, non vt exiſtentem, at non ſequitur ſimpliciter non tribuere eſſe cognitum impoſſibili. vnde ſic proſequor argumentum.

Negari non poteſt, Deum cognoſcere, alium Deum repugnare; cur non? non eſt omniſciens? nonnè etiam tù cognoſcis hoc? ergo Deus dat alteri Deo eſſe cognitum, ergo alter Deus habet tantum eſse obiectiuum in intellectu Diuino, ergo eſt ens rationis formatum ab eodem Deo à quo

habet tale eſse obiectiuum.

Reſpondent Alij. Deum cognoſcere alium Deum repugnare ſpeculatiuè, non practicè, adeoque non efformare ens rationis.

Neque hæc reſpōſio quidquam valet, nam eſt manifeſta petitio principij; quid eſt cognoſcere ſpeculatiue? eſt cognoſcere, & non efficere, ergo quando dicis quod ideo Deus non efformat ens rationis, quia cognoſcit illud ſpeculatiuè dicis quod ideò non efficit ens rationis, quia non efficit ens rationis. oh bene; ſubtiliſſima quidem ſolutio; At audias quæſo, faue præcor aſſignare quid ſit cognoſcere practicè ens rationis? dices, eſſe cognoſcere illud, & ſimul facere; optimè, & quid eſt facere ens rationis? reſpondes quod ſit tribuere nihilo, purum eſse obiectiuum; ergo ſemper, ac tribuitur nihilo eſse obiectiuum, ſemper habetur cognitio practica entis rationis; ſubſumo, ſed ſem-

ſemper ac tribuitur eſſe cognitum, tribuitur eſſe obiectiuum, ergo ſemper, ac tribuitur alteri Deo eſſe cognitum, habetur cognitio practica entis rationis, ſeù alterius Dei.

Tandem reſpondent, ad ens rationis efformandum requiri neceſſario falſitatem, & fictionem, cũ ergo Deus cognoſcendo alium Deum repugnare, non erret, neque fingat, ideo non efformat ens rationis.

Non ſatisfacit; quia gratis aſſeris, hanc falſitatem requiri hoc enim non importatur, per definitionem entis rationis; nam quando dicitur, ens rationis eſſe *illud, quod habet tantum eſſe obiectiuum in intellectu*, tù huic definitioni addis illam particulam (falſum) & dicis, quod ens rationis debet habere tantum eſſe obiectiuum falſum, at quare addis ly falſum? quæ ratio tè mouet? dic quæſo ſtat

prò ratione voluntas, vt tamen fortius te feriam inquiro; ille alter Deus cognitus, vt repugnans, quomodò à tè vocatur? non purum nihil, quia negare non potes, ipſum habere aliquod eſse ſaltem cognitum, ergo non eſt nihilum vniuerſaliſſimum; neque à tè vocabitur ens reale; Alter Deus ens reale? abſit; ſed inter ens reale,& purum nihil,aliud non mediat, niſi ens rationis, ergo velis nolis dummodo ſumus in quæſtione de nomine, ille alter Deus cognitus etiam, vt repugnans, eſt ens rationis, & ita, & non aliter vocari debet: Neq; dicas, quod alter Deus habet eſse repugnans à parte rei, ac proinde quod ſit ens reale; nam hoc eſt ludere terminis, quid eſt habere eſſe repugnans à parte rei? niſi quod repugnet eſse à parte rei, ergo alium Deum habere eſse repugnans à parte rei, idem eſt, ac alium Deum non poſse eſse à par-

te

te rei, ſed quod non poteſt eſse à parte rei non eſt ens reale, ergo, &c.

Huius argumenti non video ſolutionem; quæſtio enim eſt potius de nomine, quam de rè, quia controuertitur an ille alter Deus cognitus, vt repugnans vocandus ſit, an non, ens rationis: quo ad id quod pertinet ad quæſtionem de re, nil certi determinari poteſt, nam Authores non conueniunt in principijs, quid ſcilicet, ſit ens rationis, illi enim, qui dicunt eſſe illud quod habet purum eſſe cognitum tenentur meo videri fateri alium Deum cognitum, vt repugnantem eſſe ens rationis; at illi qui tuentur ad ens rationis requiri, vt aliquid cognoſcatur aliter, ac eſt in sè conformiter ſatis ad eorum principia, negant Deum efficere ens rationis.

# ARGVMENTVM VI.

*Contra Fautores Vniuerſalis à parte rei.*

PEtrus, Paulus, & Ioannes, ſunt tres perſonæ, & vnus homo, hæc eſt propoſitio abſolutè, & ſimpliciter falſa, ergo abſolutè, & ſimpliciter falſum eſt dari vniuerſale à parte rei.

Ant. patet, alioquin daretur myſterium Trinitatis in humanis.

Prob. C. Si daretur vna natura humana in omnibus hominibus, ſeù ſi natura humana eſſet vniuerſalis à parte rei, & eſſet vna in multis, iam tres perſonæ v. g. Petrus, Paulus, & Ioannes eſſent vnus homo, non minus, ac Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt vnus Deus; damnatur ſequela, ergo natura vniuerſalis à p. r. eſt penitus reicienda.

Prob. ſequela ma. Quia naturæ Petri,

Petri, & Pauli, & Ioannis non eſſent tres naturæ, ſed vna, ex alia parte eſſent tres perſonæ, ergo ita ſe haberent illæ tres Perſonæ humanæ, ac ſe habent, tres Perſonæ Diuinæ ſcilicet, cum vnitate naturæ, & multiplicitate perſonarum.

Reſpondent diſparitatem eſſe, quia natura Diuina eſt vna formaliter, & numericè, at natura humana eſt vna formaliter, & multiplex numero.

Contra quando dicis quod natura humana eſt multiplex numero, quid intelligis? viſnè vt multiplicitas cadat ſupra naturam, vel ſupra differentias numericas, ſcilicet ſupra indiuidua? Si primum; ergo ſunt tres naturæ, & non vna, ſi ſecundum, ergo tantum dicis, quod indiuidua ſunt tria, & natura eſt vna, & ſic vrget argumentum, quia indiuidua ſunt Petrus, Paulus, & Ioannes, ergo Petrus, Paulus, & Ioannes reali-

ter diſtincti inter ſe, identificantur in natura.

Denuo repetunt, quod tres Perſonæ humanæ identificantur in vna natura formaliter, non vero in vna natura numericè accepta.

At explicemus terminos, & videamus, an hic modus ſit enucleabilis prò ly formaliter, puto tè aliud non intelligere niſi eſſentialiter, & prò ly numericè, aliud non intelligis niſi indiuidualiter; hoc poſito, quando dicis quod ſit vna natura formaliter, dicis quod eſſentia v. g. humana ſit vna, & quando dicis quod ſit multiplex natura numericè, dicis quod Indiuidua in quibus hæc natura ineſt ſint multa; ecce Myſterium Trinitatis in humanis; nam etiam ego dicerem, & optimè, quod Natura Diuina ſit vna formaliter, hoc eſt ſit vna eſſentia Diuina, & multiplex perſonaliter, hoc eſt quod Perſonæ ſint plures; igitur

nullam

nullam diſparitatem aſſignas per ly formaliter, & numericè.

Si vero intelligis quod ipſæ naturæ Petri, Pauli, &c. præciſis Petreitate, Pauleitate, &c. ſint multæ numero, non formaliter, ergo dicis quod naturæ Petri, & Pauli ſint verè diſtinctæ, & plures, non vero diuerſæ; quia prò diſtinctione formali naturarum puto tè intelligere diuerſitatem prædicatorum eſſentialium, adeoque dicis, quod natura Petri ſit formaliter diſtincta à natura Bucefali, vt eſt comuniſſimus modus loquendi Scotiſtarum, ergo dicendo, quod natura Petri non ſit formaliter diſtincta à natura Pauli benè tamen numero dicis, quod iſtæ naturæ ſolum diſtinguntur, & non diuerſificantur, itaut non ſolum Petrus, quà Petrus ſit diſtinctus à Paulo, ſed etiam quod natura Petri ſit diſtincta, & non diuerſa à natura Pauli, & hæc eſt opinio tibi contraria, quam ſum-

moperè abhorres; igitur à primò ad vltimum ſi amplecteris primam explicationem, iam ponis Myſterium Trinitatis in humanis, ſi ſecundam, iam non defendis vniuerſale à parte rei cum Scotiſtis.

Nec tandem valet reſpondere, quod natura Diuina eſt in tribus Perſonis, non vero in tribus indiuiduis, ſicuti natura humana: nam hoc eſt maius miraculum, nam natura Diuina eſt vna in tribus Perſonis, at quælibet natura creata per hos Authores, eſt vna non in tribus, ſed in innumeris indiuiduis, & ſi rationalis eſt, in innumeris, vt ità dicam indiuiduis, & Perſonis.

### *Soluitur.*

SVpponendo, cum Scotiſtis inter naturam, & hæcceitatem dari diſtinctionem formalem ex natura rei, qua poſita aſſignatur diſpa-

diſparitas inter naturam Diui-
nam, & humanam nam illa tum
non ſit in tribus indiuiduis, non
habet per quid numericè multi-
plicari poſſit, nam effectus for-
malis Perſonæ non eſt multipli-
care naturam vt patet, hoc enim
tribuitur differentijs numericis,
igitur natura Diuina eſt omnimo-
dè vna etiam numericè, quia ca-
ret indiuiduationibus, ſeù diffe-
rentijs numericis, quæ vnitatem
numericam deſtruunt. At natu-
ra humana non ſolum eſt in pluri-
bus perſonis, ſed etiam in pluri-
bus indiuiduis, ergo eſt affecta à
pluribus hæcceitatibus, ergo eſt
numero multiplicata, quia illæ
hæcceitates, non poſſunt non
multiplicare numero naturam,
quia non poſſunt non tribuere ef-
fectum proprium formalem ipſi
in quo veluti adiacent, ecce ipſa
natura ex vna parte numero, &
phyſicè multiplicata per hæccei-
tates; at quia iſtæ hæcceitates

non ſunt de conceptu formali naturę, & diſtinguntur formaliter ab ipſa, vt ſuppoſui, ideo natura remanet in ſua eſſentia vna, & hoc eſt quod explicatur per ly formaliter, & ſic eſt formaliter vna, & numero multiplex; ac proindè valdè diuerſificatur à natura Diuina, ergo ex eo quod Petrus, Paulus, & Ioannes ſint vnus homo formaliter, & numero plures, non infertur Myſterium Trinitatis in creatis, quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus formaliter, & numericè.

---

## ARGVMENTVM VII.

*Contra negantes Vniuerſale à parte rei.*

NAtura exemp. grat. humana eſt vna in multis indiuiduis à parte rei, ergo eſt vniuerſalis à parte rei.

Conſ.

Conſ. patet, quia vniuerſale eſt vnum in multis.

Prob. ant. Petrus Paulus, &c. ſunt ſimiles in natura à p. r. ergo natura humana eſt vna in multis indiuiduis à p. r. ant. non eſt negabile.

Prob. C. Similitudo fundatur in vnitate, ergo ſimilitudo à p. r. fundatur in aliqua ratione, quæ à p. r. eſt vna, ſed Petrus, Paulus, &c. ſunt ſimiles a p. r. in natura, ergo natura, quæ eſt ratio fundãs hanc ſimilitudinẽ à p. r. debet eſſe vna à p. r.

Prob. ant. Quia ſi ſimilitudo non fundatur in vnitate ſequitur proceſſus in infinitum.

Prob. ſequela, quia ſi natura Petri, & Pauli, in qua fundatur ſimilitudo eſſentialis, quam Petrus, & Paulus dicunt in eſſe hominis, non eſt vna, ſed duplex, ſequitur, quod etiam iſtæ duæ naturæ Petri, & Pauli eſſent ſimiles inter ſe; quis hoc negabit? quæ enim diuerſitas eſſet inter ipſas? ergo

ergo eſsent ſimiles, in aliqua ratione, de qua inquiro an ſit vna, vel duplex, ſi vna, ergo iam ſimilitudo fundatur in vnitate, & habeo intentum; ſi duplex, ergo inter iſtas duas rationes daretur alia ſimilitudo, quæ vel fundaretur in in vnitate, vel in pluralitate, & ſic deinceps vſque in infinitum.

Ergo, nè abſque neceſſitate in infinitum procedamus dicendum videtur ſimilitudinem fundari in vnitate, non quod ſimilia non diſtinguantur, nam verè ſimilitudo eſt inter diſtincta, ſed quod id, in quo plura ſunt ſimilia ſit vnum exiſtens in illis.

Exemplifico. Quando dicimus Perſonæ Diuinæ ſunt ſimiles in natura, non intelligimus Perſonas Diuinas non eſse diſtinctas inter ſe, ſed intendimus, quod natura in qua ipſæ Perſonæ Diuinæ ſunt ſimiles, ſit vna in illis.

Subſumo non minus Perſonæ Diuinæ ſunt ſimiles in natura Diuina,

uina, quam Perſonæ humanæ ſint ſimiles in natura humana, & hoc vtique a p. r. ergo ſicuti natura Diuina, quæ fundat ſimilitunἰnem inter Perſonas Diuinas a p. r. eſt vna in multis, ita natura humana, quæ fundat ſimilitudiuem realem inter Perſonas humanas à p. r. eſt vna in multis.

Non valet reſponſio illorum, qui dicunt ſimilitudinem fundari in conuenientia; quia ſimilitudo, & conuenientia videntur ſynonima; ergo quando dicunt quod ſimilitudo fundatur in conuenientia, dicunt quod ſimilitudo fundatur in ſimilitudine, quod ſi negent ea eſſe ſynonima, pete ab illis, quid interſit inter ipſa, quid ſimilitudo, quid conuenientia ſignificet, & nunquam audies definitiones diuerſas niſi forſan in terminis.

Nec qnidquam valet reſpondere, quod ſimilitudo, quam dicunt Petrus, & Paulus in eſſe hominis

minis, ſundetur in Petro, & in Paulo, itaut Petrus ſit fundamentũ relationis ſimilitudinis ad Paulum, & Paulus ſit fundamentum relationis ſimilitudinis ad Petrum; nam in præſenti non petit Arguens fundamentum *quod*, ſed fundamentum *in quo*, non loquitur de ratione *quæ*, ſed de ratione *in qua*, ſed Petrus, & Paulus, vterque fundat relationem, vt *quod*, qnilibet enim ex ipſis, eſt *id quod* dicit ſimilitudinem, non *id in quo* ſunt ſimiles, nam ratio *in qua*, & ratio *quæ*, non poteſt eſſe eadem; ſicut patet in Diuinis Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt rationes *quæ* dicunt ſimilitudinem, at ratio *in qua* illam dicunt eſt natura quæ propterea eſt vna in ipſis; ergo pariter in humanis licet fundamenta, *quæ* dicunt ſimilitudinem, ſint Petrus, & Paulus, attamen fundamentum in *quo* illam dicunt debet eſſe natura, quæ hac de cauſa debet eſſe vna in illis.

*Sol.*

*Soluitur.*

RElatio, quam dicunt ſimilitudinis, Petrus, & Paulus in eſſe hominis, per eos, qui defendunt relationem diſtinctam eſt duplex realiter, quarum vna eſt in Petro, & terminatur ad Paulum, alia eſt in Paulo, & terminatur ad Petrum, illa quæ eſt in Petro, habet ipſum Petrum, vt fundamentum *quod*, & naturam Petri, vt fundamentum in *quo*; ſimiliter dico de illa, quæ eſt in Paulo, igitur quælibet ſimilitudo fundatur in ſua vnitate, nam ſimilitudo, quam dicit Petrus, ad Paulum, fundatur in natura Petri, quæ eſt etiam numericè vna; ſimiliter illa quam dicit Paulus fundatur in vna natura Pauli; ambæ poſtea fundantur in duabus vnitatibus, nam ſicuti ſimilitudo fundatur in vnitate, ità ſimilitudines fundantur in vnitatibus; per eos vero,

qui

qui hanc relationem ſimilitudinis, non diſtinguunt à coexiſtentia duorum, pariter dici poteſt ſimilitudinem, quæ eſt inter Petrum, & Paulum eſſe inadequatè, & virtualiter, vel ſaltem ratione duplicem, quarum vna habet prò ratione in qua vnam naturam, ſcilicet Petri, & altera fundatur] pariter in vna natura, ſcilicet Pauli, tota poſtea ſimilitudo adequatè ſumpta fundatur in duabus vnitatibus, [ſcilicet in duabus naturis; nec opus eſt, vt ſicut naturæ realiter diſtinguntur, ità pariter diſtinguantur ſimilitudines, cum præſertim in hac ſententia, verè ſimilitudo non ſundetur in aliquo, quia non eſt aliqua forma accidentalis media diſtincta à duobus hominibus coexiſtentibus, dicitur tamen fundari eo modo quo eſt diſtincta à ſuo fundamento ſiuè *quod*, ſiue in *quo*.

In forma, Reſpondeo N. ant. ad cuius probationem N. antec.

non

non enim Petrus, & Paulus ſunt ſimiles à parte rei in natura, ſed in naturis. Ad probationem Conſequentiæ, dico ſimilitudinem fundari in vnitate, & ſimilitudines fundari in vnitatibus; ſed duæ ſunt ſimilitudines quas dicunt Petrus, & Paulus in eſſe hominis, ſaltem virtualiter, ergo fundantur in duabus vnitatibus, ſcilicet in duabus naturis. Neque ſequitur proceſſus in infinitum; quia Petrus, & Paulus ſunt ſimiles in naturis; naturæ verò non ſunt ſimiles in aliqua alia ratione diſtincta à ſe ipſis, quia vnum, & idem poteſt eſſe ratio *quæ*, & ratio in *qua* reſpectu eiuſdem relationis; quod eſt verum in omni ſententia, nam ſimilitudo, quam dicunt Petrus, & Paulus, eſt forma, ſiuè realiter, ſiuè virtualiter, ſiuè ratione media, quæ forma eſt omnino ſimilis, alteri ſimilitudini exiſtenti inter Cæſarem, & Ioannem, in-

quiro

quiro, nonnè iſtæ duæ ſimilitudines ſunt rationes, *quæ* fundantes relationem aliam ſimilitudinis? nonnè ſunt ſimilitudines ſimiles? aſſigna quæſo in qua ratione ſunt ſimiles? vtiq; in ratione ſimilitudinis, ergo eadem ſimilitudo eſt ratio *quæ*, & ratio in *qua*.

Ad exemplum de Diuinis perſonis, dico quod tantum abeſt quod Perſonæ Diuinæ ſint ſimiles in natura, quod potius identificantur in natura, ergo ſi Natura Diuina eſt, id quod ſundat identificationem, nequit eſſe id quod ſundat ſimilitudinem, quia ſundare ſimilitudinem, eſt etiam ſundare diſtinctionem, igitur non ſunt ſimiles, ſed idem in natura, niſi abutendo vocibus, identificationem, dicas ſimilitudinem.

# ARGVMEMTVM VIII.

*Contra Fautores Relationis diſtinctæ.*

DAtur relatio diſtincta, ergo Deus eſt Cauſa peccati, ſecundum propriam deformitatem accepti; ſequela eſt falſa ergo, & id vnde ſequitur.

Prob. Conſ. Datur relatio diſtincta, ergo relatio ſimilitudinis, quæ eſt inter duo furta v. g. eſt entitas media diſtincta, ſed ad ipſam concurrit Deus, ergo concurrit ad deformitatem peccati. primum entimema eſt ipſa opinio quam impugno.

Minor ſubsũpta patet quia illa ſimilitudo diſtincta non eſt peccatũ, etenim eſt entitas media inter duo peccata, ex alia parte eſt entitas poſitiua, ſed ad omnem entitatem poſitiuam, quę non eſt peccatum concurrit Deus, ergo ad illam ſimilitudinem concurrit Deus.

Prob.

Prob. igitur Con. Non poteſt dari concurſus ad relationem, niſi detur concurſus ad fundamentum ipſius, ergo non poteſt Deus concurrere ad illam ſimilitudinem, niſi concurrat ad peccatum, quod eſt fundamentum eiuſdem, ſed ſi illa ſimilitudo eſt diſtincta; ad illam concurrit Deus, vt probatum eſt, ergo ſi datur illa ſimilitudo diſtincta Deus concurrit ad peccatum.

Ant. patet ex illo axiomate. Ad relationem non datur per sè motus; hoc eſt, Agens naturale producendo v. g. albedinem, non intendit primo, & per sè producere ſimilitudinem, quæ reſultat ex illa albedine, & terminatur ad aliam, ſed intendit per sè primò producere albedinem, ex qua poſtea ſecundario emanat illa ſimilitudo.

Prob. igitur Conſeq. Si Deus concurreret ad illam ſimilitudinem, & non ad peccatum ex quo

dima-

dimanat, per sè primò produceret relationem, ergo ad relationem daretur per sè motus, quod non videtur dicendum præcipuè à Thomiſtis contra quos militat argumentũ, ergo ſi Deus concurrit ad illã relationem, concurrit ad peccatum; ſi non concurrit ad relationem, ergo datur aliquod ens poſitiuum à p. r. qnod non eſt peccatum, ad cuius productionem Deus non concurrit; vtrumque eſt abſurdum, ergo vt vtrumque euitetur, melius erit negare relationem diſtinctam.

Prima reſponſio eſt in promptu, Deum ſcilicet concurrere ad materiale peccati, non ad formale.

**Nullo modo ſatisfacit; quia, qui concurrit ad relationem, concurrit ad fundamentum ipſius, ſed non ſolum duo furta ſunt ſimilia in eſſe materiali, ſed etiam in eſſe formali, & defectuoſo, ergo, qui concurrit ad relationem quam dicunt**

dicunt duo furta in eſſe formali, & defectuoſo, neceſſe eſt vt concurrat ad ipſa furta ſecundum eſſe defectuoſum accepta, quia ſecundum hoc eſſe defectuoſum ſunt etiam fundamenta ſimilitudinis.

Reſponſio aliorum eſt, quod Deus concurrat ſolum permiſſiuè ad fundamentum, vt poſſit poſtea concurrere ad relationem reſultantem ex ipſo.

At hæc reſponſio, neque ſatiſfacit, quia quid eſt concurrere permiſſiuè, niſi poſſe, & nolle impedire; ergo Deum permiſſiuè concurrere ad peccatū eſt Deum nolle impedire, ſeù præciſiuè ſe haberi reſpectu peccati, igitur concurſus Dei poſitiuus per ſe primo terminaretur ad relationem, non ad fundamentum, ergo ad relationem daretur per sè motus; quia concurſus permiſſiuus non eſt motus, ſed vt oſtenſum eſt, eſt potius indifferentia, ſeù præciſiuè ſe haberi.

Huius argumenti non inuenio ſolutionem eam à tè benigne Lector expecto; fateor quod ſi peccatum conſiſtit formaliter in priuatiuo, argumentum ruit, quia priuatio nequit fundare entitatem poſitiuam ſimilitudinis; at ſi conſiſtit in poſitiuo, non video quo modo argumentum adæquatè ſolui poſſit.

---

# ARGVMENTVM IX.

## *Contra dicentes ens non eſſe Vniuocum.*

IMpoſſibile eſt, vt in ratione præciſa inferiora partim conueniant,& partim diſconueniant, ergo impoſſibile eſt, vt in ratione præciſa entis ſubſtantia, & accidens, partim conueniant, & partim diſconueniant, ergo vel totaliter diſconueniunt, & ſic ens erit æquiuocum, vel totaliter con-

ueniunt, & ſic ens erit vniuocūm; non poteſt dici primum, ergo ſecundum.

Prob. ant. Impoſſibile eſt, vt in aliqua ratione indiuiſibili inferiora partim conueniant, & partim diſconueniant; ſed ratio præciſa eſt adhuc per intellectum indiuiſibilis, ergo impoſſibile eſt, vt in illa inferiora partim conueniant, & partim non conueniant.

Prob. min. Si non eſſet indiuiſibilis, ergo non eſſet præciſa à differentijs diuidentibus, quia omnis diuiſibilitas prouenit à differentijs, ſed loquimur de ratione præciſa à differentijs, ergo loquimur de ratione indiuiſibili, & vna.

Reſpondent, quod ratio entis, quamuis præciſa, nunquam eſt perfectè indiuiſa, & vna, quia non poteſt perfectè præſcindi; adeoque in ratione entis inferiora partim conueniunt, & partim diſconueniunt.

Sed

Sed contra; ratio entis eo modo eſt vna, quo modo eſt præciſa; ſed eſt taliter præciſa, qualiter ſufficit pro vniuocatione, ergo habet talem vnitatem, qualis requiritur ad totalem, & vniuocam conuenientiam.

Prob. min. Ideo forſitan ratio entis non poteſt perfectè præſcindi à ſuis inferioribus, quia licèt poſſimus concipere ens ſine ſubſtantia, & accidente, tamen non poſſumus concipere ſubſtantiam, vel accidens, quin concipiamus ens; ſed ex hoc non arguitur præciſionem entis non eſſe talem, qualis requiritur ad totalem, & vniuocam conuenientiam, ergo, &c.

Prob. mi. Licèt poſſimus concipere animal abſq; eo quod concipiamus rugibile, tamen non poſſumus concipere rugibile ſine animali, ergo ſicuti præciſio entis à ſuis inferioribus non eſt mutua, ita nec eſt mutua preciſio anima-

 lis;

lis; ſed hoc non obſtante, &c. ergo &c.

Prob ſecunda pars Antec. Rugibile quamuis præciſum ſemper, adhuc per Intellectum, eſt principium ſentiendi, ſed principium ſentiendi eſt animal, ergo rugibile etiam præciſum, per Intellectum, eſt animal.

Prob mai. Rugibile qua formaliter rugibile eſt, eſt principium rugitus; rugitus formaliter, qua rugitus eſt ſenſatio, ergo rugibile formaliter qua tale eſt principium ſenſationis.

Prob. min. Rugitus formaliter, qua rugitus eſt actus animæ ſenſitiuæ, ergo eſt ſenſatio. Definias mihi ſi potes rugitum, abſque eo quod in eius definitione veniat ſenſatio.

Reſpondent, quod licet rugibile formaliter, qua rugibile includat principium ſenſationis, ac proindè animal, tamen ſi ſumatur vt corpus, vt viuens, vt ſubſtantia

ſtantia, non includit animal; è contra verò perſeitas in quocumque genere ſumatur ſemper includit ens, ex quo ſequitur, quod animal ſit vniuocum reſpectu rugibilis, & latrabilis, non verò ens reſpectu perſeitatis, & inaleitatis.

Sed contra, quia ad hoc vt aliqua ratio ſit vniuoca ſatis eſt ſi perfectè præſcindat à differentijs; & ad hoc, vt non ſit vniuoca ſatis eſt, ſi non perfectè præſcindat ab illis; ſed differentiæ animalis ſunt latrabile, & rugibile, non quidem qua corpus, qua ſubſtantia, &c. ſed formaliter qua latrabile, & qua rugibile, & hoc patet euidenter, quia ſubſtantia corpus, &c. non diuidunt animal, ſunt enim prædicata ſuperiora, non inferiora reſpectu animalis, ergo ſi concedis quod rugibile formaliter qua tale includat animal, iam concedis quod animal includatur in ſuis differentijs, eo modo quo

ens includitur in ſuis, ergo vel vtraque, vel neutra ratio eſt vniuoca.

*Soluitur.*

DIcendo quod rugibile formaliter qua tale, non eſt principium ſenſationis in genere, ſed talis ſenſationis ſcilicet rugibilitatis, itaut non cauſet ſenſationem, ſed taleitatem ſenſationis cauſatæ ab animali; taleitas ſenſationis cum ſit ratio contrahens, & ſpecifica, conſtituens rugitum poteſt cõcipi abſque ſenſatione, itaut poſſim dicere illam taleitatem, eſſe differentiam ſenſationis vt ſic cõtrahentem ipſam, in eſſe rugitus; hoc dici non poteſt dè perſeitate, quę quantũmuis ſumatur, vt taleitas entis, non eſt nihil ergo eſt ens, ac proinde non præſcindit ab ente.

AR-

# ARGVMENTVM X.

*Contra dicentes materiam primam carere propria exiſtentia.*

MAteria prima eſt capax alicuius actus proprij, ergo à fortiori eſt capax exiſtentiæ propriæ, quæ eſt potiſſimus actus.

Prob. ant. Materia prima non eſt pura potentia receptiua, ergo eſt capax alicuius actus proprij.

Prob. ant. Implicat in terminis, pura potentia receptiua, ergo materia prima non eſt pura potentia receptiua.

Prob. ant. Implicat in terminis purus actus receptibilis, ergo implicat in terminis pura potentia receptiua.

Ant. patet, nam actus ſtatim, ac eſt receptibilis habet aliquid potentialitatis, ergo purus actus receptibilis implicat in terminis.

Prob. igitur Con. Si materia

prima eſt pura potentia receptiua, vtique eſt talis reſpectu actus receptibilis; ſed actus receptibilis purus implicat, ergo pariter implicabit potentia receptiua pura.

Prob. ma. Potentia receptiua eſt talis in ordine ad actum receptibilem, ergo potentia receptiua pura eſt talis in ordine ad actum receptibilem purum; quia ſicuti ſe habet potentia ad actum, ita potentia receptiua ad actum receptibilem, & potentia pura receptiua in ordine ad actum purum receptibilem.

Confirmatur. Materia prima eſt ens traſcendentaliter relatiuũ, ergo totum eſſe quod habet, eſt in ordine ad correlatiuum, ſcilicet in ordine ad formam receptibilem; itaut nulla formalitas inueniri poſſit in materia, quæ non ſit reſpectiua alicuius formalitatis formæ; vnde ſi materia eſt potentia, eſt potentia in ordine ad

for-

formam, quæ eſt actus, ſi materia eſt potentia receptiua, eſt talis in ordine ad formam, quæ eſt actus receptibilis, ergo ſi materia, eſt potentia receptiua pura, debet eſſe talis in ordine ad aliquam formam, quæ ſit actus receptibilis purus; inueni mihi quæſo aliquam formam, quæ in ſuo eſſe hæc prædicata coniungat, videlicet rationem receptibilitatis, & rationem puritatis, nonnè Deus eſt actus purus, quia irreceptus, & irreceptibilis, & irrecipiens eſt? ergo in actu non compatiuntur hæc prædicata, ſcilicet, receptibile, & purum, ergo neque in materia compatienda ſunt hæc prædicata, ſcilicet, quod ſit potentia pura, & potentia receptiua.

### *Soluitur.*

AD argumentum reſpondeo in forma. Negando ant.

ad cuius probationem. Neg. ant. ad cuius aliam probat. Neg. etiam ant. & quando petitur quare implicat in terminis purus actus receptibilis, & non pura potentia receptiua, dico rationem diſparitatis eſſe clariſſimam, nam ratio puritatis, quæ eſt in actu puro, perfectionem ipſius actus deſignat, igitur actus, qui eſt purus, eſt talis (vt ita dicã) per exceſſum perfectionis, ſed receptibilitas eſt, vt patet imperfectio, ergo repugnat actus purus receptibilis, quia qua purus, eſſet actus perfectus, qua receptibilis imperfectus, & quidem in eadem ratione actus affecti à ratione puritatis, & à ratione receptibilitatis; at puritas, quæ per Thomiſtas afficit materiam primam, eſt puritas per defectum, ergo poteſt rectè cohærere, cum imperfectione ſuæ receptiuitatis, quod eadem ratio puritatis in actu ſit perfectio, in materia imperfectio, patet quia actus,

actus, qui eſt purus, eſt talis per excluſionem potentialitatis, ſed excluſio potentialitatis eſt perfectio; ergo ratio puritatis, quæ eſt in actu puro, eſt perfectio, ita vt quanto maior ſit puritas, eo maiorem perfectionem deſignet, & cum in Deo ſit maxima puritas, eſt etiam maxima perfectio; at ratio puritatis, quæ eſt in materia, eſt per excluſionem actualitatis, ergo eſt imperfectio, quia excluſio omnis actualitatis eſt incluſio omnis potentialitatis; & ex hoc ſequitur implicare actum purum receptibilem, non vero potentiam puram receptiuam.

Ad confirmationem vero, quæ maiorem continet difficultatem dici poteſt, quod materia, per hoc, quod ſit potentia receptiua opponatur relatiuè formæ receptibili, per hoc vero, quod ſit pura per defectum, & per excluſionem omnis actualitatis opponatur Deo, qui omni potentiali-

tate caret, & omni puriſſima actualitate gaudet. Sic dici poteſt, ſed reſponſio non adequat, quia quælibet formalitas, quæ eſt in materia, debet eſſe reſpectiua alicuius formalitatis formæ receptibilis, vt optimè vrget argumentum, ergo perperam recurritur ad oppoſitionem, quam dicit materia cum Deo, alioquin ſicut Deus gaudet actualitate eſſendi, ità materia vt ipſi directè oppoſita, deberet habere potentialitatem eſſendi, & ſic loqueremur de materia poſſibili, non verò de actuali: videtur igitur ſemper ſequi, quod ſi materia eſt pura potentia receptiua, debet eſſe talis in ordine ad purum actum receptibilem; quia Arguens non petit diſparitatē quare implicet actus purus receptibilis; & non implicet potentia pura receptiua; ſi hoc enim peteret, ſufficienter, euacueretur difficultas per aſſignatam diſparitatē; ſed Arguens ſup-

ſupponit implicare purum actum receptibilem, ex quo porrò infert implicare potentiam puram receptiuam; ſicuti ſi implicaret ſimpliciter actus receptibilis, implicaret ſimpliciter, potentia receptiua, ſed implicat actus receptibilis purus, vndecumque proueniat hæc implicantia, hoc enim non quærit Arguens, ergo implicat potentia receptiua pura. His rationibus conuictus, ſolutionem dandam ab eleuatiori ingenio relinquo.

## ARGVMENTVM XI.

***Contra eos, qui tribuunt propriam exiſtentiam materiæ primæ.***

IN compoſito ſubſtantiali datur ſola exiſtentia formæ, ergo materia non habet propriam exiſtentiam.

Prob. antec. Si in compoſito ſub-

ſubſtantiali ſicuti dantur duæ eſſentiæ partiales, ita darentur duæ exiſtentiæ partiales, ſequeretur, quod ſicuti duæ eſſentiæ partiales vniuntur, ad vnicam eſſentiam totalem componendam, ità duæ exiſtentiæ partiales vnirentur ad vnicam componendam exiſtentiam totalem; ſequela eſt abſurda, ergo, & id vnde ſequitur.

Prob. min. Quia ſuppoſita diſtinctione reali inter eſſentiam, & exiſtentiam (ſine qua hypoteſi, non datur locus quæſtioni) tum exiſtentia materiæ, tum illa formæ ſunt formæ modales, ergo ex ipſis non poteſt componi vnica exiſtentia totalis.

Prob. Con. Quia duæ formæ non poſſunt vniri ad vnum per sè componendum, ergo neque duæ exiſtentiæ, quæ in data hypoteſi eſſent duæ formæ.

Prob. ant. Ea, quæ vniuntur ad vnum per ſe efficiendum debent ordinari, vt actus, & potentia, ſed

ſed duæ formæ ambæ ſunt actus, ergo non poſſunt vniri niſi per accidens, cæterum ex illis non poteſt reſultare vnum per ſè.

Confirmatur, ſicuti eſſentia totalis compoſiti reſultat ex duabus eſſentijs partialibus, quarum, vna eſt actus, altera eſt potentia, ità exiſtentia totalis compoſiti deberet reſultare ex duabus exiſtentijs, quarum vna eſſet actus, alteraue potentia, ſed non poteſt dari exiſtentia, quæ ſit potentia ſuppoſita diſtinctione reali, inter eſſentiam, & exiſtentiam cuiuslibet creaturæ, ergo non poteſt ex illis reſultare vnica exiſtentia totalis, ac proinde non dantur in compoſito, duæ exiſtentiæ partiales, ſed vna ſola, ſcilicet illa formæ.

### *Soluitur.*

NOtando exiſtentiam materiæ, etſi (vt ſuppono prò nunc)

nunc) realiter diſtinctam ab eſ-
ſentia ipſius, eſſe actum, & po-
tentiam, actum reſpectu mate-
riæ, quam afficit, & reddit exi-
ſtentem, potentiam reſpectu exi-
ſtentiæ formæ, quam recipit, &
pluriès ſubſtentat; vnde cum iſtæ
duæ exiſtentiæ ad inuicem acce-
ptæ, ordinentur, vt actus, & po-
tentia, rectè poteſt ex illis coa-
leſcere vnica exiſtentia totalis
compoſiti: hæc ſolutio, vt reijcia-
tur, debet ab Argüente probari,
implicare vnum, & idem eſſe
actum, & potentiam etiam reſ-
pectu diuerſorum, quod exiſti-
mo difficilis prouinciæ, nam ſicu-
ti communiter quantitas eſt actus
reſpectu materiæ in qua recipi-
tur, & eſt potentia, ſeu ſubiectum
reſpectu aliorum accidentium,
quæ ſubſtentat, itá ſimiliter dici
poteſt de exiſtentia materiæ,
quod ſit actus reſpectu eſſentiæ
cuius eſt exiſtentia, & potentia re-
ſpectu exiſtentiæ formæ quam re-
cipit. AR-

# ARGVMENTVM XII.

*Contra Bachoniſtas dicentes formas materiales præcontineri in potentia materiæ, ſecundum neſcio quod eſſe ſeminale, incobatum, primordiale diminutum &c. antequam educantur.*

NOſter Ioannes Bachonus Anglicus, Vulgo dictus *Doctor Reſolutus*, docuit formas materiales præcontineri in ſinù materiæ, non ſolum ſecundum purum eſſe receptibile, hoc enim modo etiam formæ ſpirituales in materia continentur, antequam ponantur in actu, quis enim negabit animum rationalem ante ſui creationem habere hoc quod eſt poſſe recipi in materia? ſed ſecundum aliud eſſe, quod ipſe vocat incohatum primordiale, &c. non quod pars formæ ante ſui eductionem (vt ſomniarunt aliqui) actu exiſtat in materia; neque

neque quod tota forma ſit actu exiſtens in eadem, quaſi latens in eius ſinu (vt delirabat Anaxagoras) in cuius ſententia eductio erat ſolum actio remouens prohibens, nam per eam remouebantur ab Agente accidentia prohibentia apparitionem formæ; ſed aiebat Bachonus, quod forma puta ignis ante ſui eductionem eſt in materia, ſecundum eſſe ſeminale, eo ferè modo quo triticum eſt ſub Tellure antequam germinet, quod eſſe ſeminale, non eſt pars formæ, ſed tota; non ſecundum eſſe perfectum, & actuale, ſed ſecundũ eſſe imperfectum & primordiale; & hoc dicebat, vt aſſignaret diſtinctiuum inter Creationem, & eductionem, ideò enim per ipſum forma ignis, & non animus rationalis eſt educibilis, quia illa, & non iſte ſecundum eſſe ſeminale præcontinetur in materia. Sic explicãt hanc opinionem Bachoniſtæ contra quos ſic.

Ar-

Argumentor. Hoc eſſe ſeminale ſecundum quod per vos formæ materiales antequam educantur præcontinentur in materia, ex vna parte eſt ineſplicabile, ex alia eſt omninò ſuperfluum, ergò abſolutè eſt merum figmentum.

Prob. ant. Quo ad primam partem, inter eſſe poſſibile, & eſſe actuale, non eſt aſſignabile aliud eſſe mediũ, nã *quodlibet, vel eſt, vel poteſt eſſe*; ſi eſt habet eſſe actuale, ſi non eſt, & poteſt eſſe, habet eſſe poſſibile, ſi verò nec eſt, nec poteſt eſſe, eſt chymera; ſed hoc eſſe ſeminale, nec eſt eſſe actuale, nec eſt eſſe poſſibile, ergo eſt penitus ineſplicabile.

Quod non ſit eſſe actuale, liquet, quia vos ipſi dicitis formas præcontentas in materia ſecundum eſſe ſeminale, non eſſe formas ſecundum eſſe actuale, alioquin haberent hæ formæ eſſe actuale antequam ponerentur in actu

actu quod repugnat in adiecto, niſi velitis incidere in fatuitatem Anaxagoræ.

Prob. igitur, quod non ſit eſſe poſſibile; ſi quando dicitis, formas præcontineri in ſinu materiæ ſecundum eſſe ſeminale, dicitis eas præcontineri ſecundum eſſe poſſibile, vel loquimini de eſſe poſſibili actiuo, vel de eſſe poſſibili paſſiuo; me explico, vel vultis dicere, quod hæ formæ præcontinentur in materia tanquam in cauſa actiua, vel quod præcontinentur in ea tanquam in cauſa paſſiua; primum non credo dicendum à vobis; materia cauſa actiua? repugnat in terminis, ergo ſecundum, ergo nihil aliud dicitis, quando dicitis, quod formæ præcontinentur in materia ſecundum eſſe ſeminale, niſi quod formæ poſſint recipi in materia; Ecce in quid reſoluitur totum myſterium eſſe ſeminalis Bachoniſtarum; quod vt clarus oſtendam,

Sic

Sic diſcurro formæ iſtæ præcontinentur in materia ſecundum eſſe poſſibile paſſiuum, quid importat hoc? ſanè nil aliud niſi quod formæ præcontineantur in materia tanquam in cauſa paſſiua; nonnè idem eſt recipere, ac pati? ergo quando dicitis, quod hæ formæ præcontinentur in materia ſecundum eſſe poſſibile paſſiuum, dicitis, quod formæ poſſunt recipi in materia. Singularis opinio.

Vrgeo magis; animus rationalis per vos non præcontinetur in materia, ſecundum hoc eſſe ſeminale, diminutum, &c. Ergo ſignum eſt, quod hoc eſſe ſeminale, non ſit purum eſſe poſſibile paſſiuum, nam ſecundùm hoc eſſe etiam animus rationalis, præcontinetur, cum etiam ipſe ſit receptibilis in materia. Quid ergo eſt hoc eſſe ſeminale Bachoniſtarum? Non eſt eſſe actuale, non poſſibile actiuum, non paſſi-

uum

uum quid ergo eſt? chymera.

Reſpondent, formam non præcontineri in materia ſecundum illud eſſe poſſibile, ſecundum quod præcontinetur in Agente, ſed ſecundum aliud eſſe ſecundum quod cauſatur à materia, quod vocatur eſſe ſeminale.

Benè, fauete, quæſo in quo genere cauſæ forma cauſatur à materia? nonnè in genere cauſæ materialis? genus cauſæ materialis non eſt genus cauſæ paſſiuæ, & receptiuæ? ergo formam præcontineri in materia in genere cauſæ materialis eſt idem, ac ipſam, præcontineri in materia ſecundũ eſſe poſſibile receptiuum; quod antea ego intuli.

Prob. nunc ſecunda pars antecedentis, quod ſcilicet, hoc eſſe diminutum, & ſeminale ſit omninò ſuperfluum.

Si ad aliquid deſeruiret, maximè (vt aiunt Bachoniſtæ) vt forma materialis ſit educibilis, ſeù

vt

vt detur validum diſtinctiuum inter eductionem, & creationem, ſed ad hoc non iuuat, ergo ad nihil.

Prob. mi. Vt forma materialis corrupta reeducatur ex ſinu materiæ, non requiritur hoc eſſe ſeminale formæ, ergo neque, vt forma primo educatur requiretur.

Prob. ant. Illud eſſe ſeminale, ſecundum quod nunc forma ignis poſſibilis præcontinetur in ſinu materiæ perficitur, & actuatur, quando hæc forma ignis producitur, itaut forma tranſeat de eſſe ſeminali, & incohato, ad eſſe actuale, & perfectum; tunc ſic, corrumpatur hæc forma ignis, Deus vtique poteſt ipſam ex eadem materia ſecundo educere, ad quam ſecundam eductionem, iam forma non præeſſitit ſecundum eſſe ſeminale, quia illud primum eſse ſeminale, completum fuit, & perfectum, & non eſt amplius

plius inuenibile in materia, ſicuti quando triticum eſt actuatum, & perfectum, iam non amplius poteſt præeſiſtere in terra ſecundum eſſe ſeminale, ſi ſupponamus triticum corruptum, ergo ad reeductionem non eſt neceſse, eſse ſeminale, ergo neque ad primam eductionem, nam eductio, & reeductio ſunt eiuſdem ſpeciei.

*Expecto ſolutionem à Bachoniſtis, vt eam infringam.*

## ARGVMENTVM XIII.

*Contra eos, qui negant vnionem diſtinctam inter Materiam, & Formam.*

VT habeatur Vnitum, ſeù Compoſitum, non ſufficit coexiſtentia partium, ſcilicet Materiæ, & Formæ, ergo requiritur aliquid aliud, ergo datur Vnio diſtincta.

Prob.

P.an. De facto Materia, & Forma D. Petri coexiſtunt, & tamen nõ habetur Vnitum, ſeù Compoſitum illud, quod habebatur ante interitum D. Petri, ergo coexiſtentia Materiæ, & Formæ, non ſufficit, vt habeatur Vnitum.

Reſpondent Nominales; vtique requiritur aliquid aliud præter partes, at hoc non eſt Vnio de qua contendimus, ſed eſt indiſtantia, ſeù approximatio partium.

Contra; iſta indiſtantia, quam das diſtinctam, requiritur nè vt ratio formalis coſtitutiuą Vniti, vel vt pura conditio? Si primum ergo datur Vnio diſtincta.

Prob. Conſ. Nomine Vnionis nil aliud intelligunt Modaliſtæ niſi rationem formalem coſtitutiuam Vniti, ſed hæc ratio formalis coſtitutiua Vniti à tè admititur diſtincta, ergo à tè admittitur illa Vnio diſtincta quam negas licet eam non voces nomine

Vnionis, ſed nomine indiſtantiæ, de quo non curo.

Si verò requiritur, vt Conditio; Inſurgo. Omnis conditio, ad aliquid diſtinctum à ſè requiritur; non enim conditio requiritur ad ſe ipſam; ſic exiſtentia non eſt conditio, vt Cauſa exiſtat, nam circa hoc eſt ratio formalis, ſed eſt conditio, vt cauſa operetur, vnde requiritur vt conditio, ad operationem, quæ eſt aliquid diſtinctũ ab exiſtentia; hoc etiam obſeruabis in omnibus conditionibus, nulla enim conditio requiritur, vt talis ad ſe ipſam. quo poſito.

Argumentor; hæc indiſtantia, quæ à tè admittitur diſtincta, vt Conditio, non eſt conditio requiſita, vt partes ſimpliciter exiſtant, neque vt exiſtant cum indiſtantia, ergo eſt conditio requiſita, vt partes vniantur, & conſequenter, præter partes, & indiſtantiam datur Vnio diſtincta.

Pri-

Prima pars anced. patet, quia Materia, & Forma D. Petri dè facto exiſtunt ſine hac indiſtantia, ergo hæc indiſtantia non eſt conditio requiſita vt Materia, & Forma ſimpliciter exiſtant.

Secunda pars etiam liquet, quia Si hęc indiſtantia eſſe conditio requiſita, vt Materia, & Forma exiſtant cum indiſtãtia eſſet conditio reſpectu indiſtantiæ, ergo eſſet conditio requiſita ad ſe ipſam, quod eſt impoſſibile, vt nuper oſtendi, ad quid ergo requiritur? non vt partes ſint, non vt indiſtantes ſint; ergo requiritur, vt vnitæ ſint, & ſic præter partes, & indiſtantiam, datur Vnio.

Reſpondent nominales; hæc indiſtantia requiritur, vt partes ſimul ſint, approximatæ ſint, penetratæ ſint, &c.

Ecce verborum ludus, indiſtantia requiritur, vt partes ſimul ſint, approximatæ ſint, &c. Ergo requiritur ad ſe ipſam, quia par-

tes eſſe approximatas, indiſtantes, penetratas (ſupple localiter) & eſſe ſimul, ſunt mera ſynonima.

Reſpondet Bachoniſta; requiritur indiſtantia vt hoc ſit in hoc, quia Vnio non eſt aliud niſi *hoc in hoc*.

Audis *hoc in hoc*? hæc eſt clariſſima Definitio vnionis Bachoniſtarum; nonnè magis clareſcit hic terminus Vnio quam *hoc in hoc*? quomodo ergo? Definitum eſt clarius definitione? at impugno directè, indiſtantia requiritur, vt *hoc ſit in hoc*, ſcilicet, vt Forma ſit in Materia; ſumo tò *in* eſt nè terminus ſignificatiuus? equidem, alioquin nihil diceres? quid ſignificat? non materiam, & formam tantum exiſtentes, quia poſſunt exiſtere Materia, & Forma, abſque eo quod *hoc ſit in hoc*, ſcilicet, quod Forma ſit in Materia, ergo ſignificat aliquid diſtinctum à Materia, & Forma aſſigna quæſo

quid

quid ſit hoc diſtinctum? eſt nè in-
diſtantia? ergo indiſtantia requi-
ritur ad ſe ipſam, quia requiritùr,
vt *hoc ſit in hoc*, non quidem, vt
habeantur *hoc*, & *hoc*, ſed ad ly *in*,
vt ſcilicet Forma ſit *in* Materia, ly
*in* ſignificat indiſtantiam, ergo
idem eſt Conditio ad ſe ipſum.
quod ſi ly *in* ſignificat aliquid
aliud aſſigna, at noli repetere
amplius *hoc in hoc*, nam hæc Phra-
ſis excedit meum captum.

Reſpondet Madernus, Indi-
ſtantia requiritur, vt habeatur
complexum non quidem coexi-
ſtentiæ Materiæ, & Formæ, ſed
Complexum inexiſtentiæ earun-
dem.

Semper idem audio ſub diuer-
ſis phraſibus; quando habetur
complexum inexiſtentiæ Mate-
riæ, & Formæ? ſanè quando For-
ma eſt in Materia, ſcilicet, quan-
do *hoc eſt in hoc*, ergo idem dicis,
quod Bachoniſta, conſequenter,
vt ſupra refutatis.

Reſpondent Alij; Requiritur illa indiſtantia, vt Materia recipiat, & Forma recipiatur.

Benè. At Ego inquiro Materiam recipere, & Formam recipi, eſt nè aliquid diſtinctum à Materia, & Forma nec nè? Si ſecundum, ergo requiritur vt Materia, & Forma ſint, quod eſse falſum ſuperoſtendi; ſi primum, explicetur quid ſit hoc diſtinctum?

Reſpondent, eſt ipſa receptio Materiæ, & ipſa informatio Formæ.

At hæc eſt Vnio, quam defendunt Modaliſtæ, Informatio ſiquidem, & receptio ſunt vnamet entitas realiter in comuniori ſententia, quæ entitas, non eſt abſoluta, ſed modalis, quia eſt actuale exercitium Materiæ, & Formæ; quid eſt modus niſi entitas, cuius totum eſse cõſiſtit in actuali exercitio? Rurſus; hæc entitas modalis diſtincta, coſtituit Vnitum formaliter, vt de sè patet, ergo

quando

quando concedis receptionem diſtinctam, concedis entitatem modalem diſtinctam per quam formaliter conſtituitur Vnitum; & poſtea dicis tè negare vnionem diſtinctam? dic melius tè negare quid nominis, non quid rei vnionis.

Reſpondet. Quidam Recentior vnionem quo ad entitatem non eſse diſtinctam, benè tamen quò ad exercitium, vnde ſimpliciter, & abſolutè non datur vnio diſtincta.

Non intelligo quid dicat hic Author; Quid eſt vnio quo ad entitatem? dicit *quod ſint ipſæ partes poſſibiles vniri.* Oh bellè, ergo quando dicis, quod vnio quo ad entitatem non diſtinguitur à partibus, dicis, quod partes, quæ poſſunt vniri non diſtinguntur à partibus; magnum myſterium. Quis vnquam dè hoc, vel minimam ſuſpicionem paſsus eſt? Secundo quid eſt vnio, quo ad

exercituum? dicit *quod ſit ipſum actuale vniri partium*; ſed hoc à rè conceditur diſtinctum, ergo nil negas, & velis, nolis in rè coincidis cum Modaliſtis.

Denuo igitur replicemus; Indiſtantia non eſt Vnio, ſed Conditio requiſita, inquiro ad quid requiritur? Reſpondeant Inimici Vnionis.

Reſpondent. Requiritur, vt habeatur Compoſitum.

Contra. Vel Compoſitum dicit Materiam, & Formam tantum, vel aliquid aliud; non primum, vt ſupra probatum eſt, ergo quando reſpondes, quod indiſtantia requiratur, vt habeatur Compoſitum, dicis ipſam requiri, vt habeatur partes; ſi dicit aliquid aliud, aſſignetur.

Reſpondent. Compoſitum dicit materiam, & formam, & indiſtantiam.

Ergo quando dicis, quod indiſtantia requiritur, vt habeatur

Com-

Compoſitum cũ non dicas eãdẽ re- quiri ad exiſtentiam partium dicis eam requiri ad indiſtantiam partium, & ſic requiritur ad ſeipſam.

Clariùs. Compoſitum per sè dicit partes, & indiſtantiam, indiſtantia eſt conditio requiſita, vt habeatur Compoſitum, ergo, vel requiritur, vt habeantur partes, vel, vt habeatur indiſtantia, non primum, vt probaui, ergo ſecundum, ergo requiritur ad ſe ipſam. Si dicas eam requiri, vt habeantur, non partes, neque vt habeatur indiſtantia, ſed vt habeatur vtrumque, idem ſequitur, nam cum requiratur ad vtrumque, requiritur etiam ad ſe ipſam.

Reſpondent. Præter Materiam, Formam, & indiſtantiam requiri etiam Decretum Dei ſtatuentis, vt ex Materia, & Forma indiſtantibus, reſultet Compoſitum.

Sed Contra. Nam Decretum Dei, eſt omninò extrinſecum,

neque Deus poteſt non decernere, ſeù impedire Compoſitum, quoties vult Materiam, Formam, & indiſtantiam, quia vellet, & non vellet idem Compoſitum, nam Compoſitum per tè nil aliud intrinſecè importat niſi Materiam, & Formam indiſtantes.

Fortiùs. Quando Deus dicit Volo Compoſitum, quod nam eſt terminus volitus? coexiſtentia Materiæ, & Formæ tantum? minimè: eſt nè indiſtantia inter Materiam, & Formam coexiſtentes? maximè. Rurſus vult nè Deus hanc indiſtantiam, vt rationem formalem coſtitutiuam Vniti? minimè, alioquin hæc indiſtantia eſſet Vnio, quam abhorres; vult nè illam, vt conditionem? maximè; ad quid ergo requitur iſta conditio? vt partes exiſtant? minimè; vt exiſtant vnitę? ergo prętter indiſtantiam, & partes, datur Vnio; vt exiſtant indiſtantes? ergo indiſtantia eſt conditio requiſita.

ſita, vt habeatur indiſtantia, ecce quomodo ſemper in eodem labyrinto te vertis.

Vt autem iterum te feriam, argumentor. Si indiſtantia eſt Conditio, vt habeatur Vnitum, aſſigna, quæ nam ſit ratio formalis coſtitutiua Vniti? non ſolæ partes, alioquin dè facto daretur ratio formalis ſine effectu formali, quia dè facto dantur Materia, & Forma D. Petri, & non habetur Compoſitum D. Petri; non indiſtantia, quia hæc eſt Conditio, ergo quæ nam eſt?

Rurſus; quando habetur Ratio formalis non poteſt non haberi Conditio; Sic quia actio, eſt ratio formalis coſtitutiua Agentis in actu ſecundo operantis, non poteſt haberi actio, & deficere exiſtentia Agentis, vel aliqua alia conditio, alioquin Agens ſimul ageret, & non ageret, vt patet; ergo ſi ratio formalis coſtitutiua Vniti eſt proportio actus,

& potentiæ (vt aliqui dicunt) vel illa duplex relatio Materiæ, ad Formam, & Formæ ad Materiam (vt Alij volunt) ſemper, ac haberetur hæc proportio, vel hæc duplex relatio, haberetur indiſtantia, quod eſſe falſum patet in Materia, & Forma D. Petri, quæ licet exiſtant ſeparatæ, nihilominus, nec proportionem, nec ordinem actus, & potentiæ amiſerunt, vt potè ipſis eſſentialiſſimum.

Reſpondent. Vt habeatur Compoſitum non ſufficit coexiſtentia Materiæ, & Formæ, ſed vlterius requiritur, connotatio.

Benè, dic quæſo cuius connotatio requiritur? quid debent connotare hæ partes, vt habeatur compoſitum? Seipſas forſitan? nonnè connotatio eſt ad aliud? debēt fortaſſis connotari ad inuicem, itaut Materia connotet Formam, & è contra? at hæc connotatio non habetur etiā, inter

Ma-

Materiam, & Formam D. Petri? nonnè actus ſemper connotat potentiam, & è contra? quare non? & tamen non habetur Compoſitum D. Petri.

Dicunt, debent connotare ſeipſas, vt indiſtantes.

Optimè, inquiro debent nè connotare indiſtantiam, vt conditionem, vel vt rationem formalem coſtitutiuam Totiùs? ecce ſemper ſumus in ijſdem anguſtijs.

Dices; hoc argumentum tantum probat Vnionem diſtingui à partibus, non verò diſtingui à partibus vnitis.

Contra; dic apertè quid vis, vt probem, vnionem diſtingui à partibus, quæ vniuntur, vel à partibus vnitis reduplicatiuè quà vnitis? primum iam probatum eſt, nam partes, quæ vniuntur ſunt Materia, & Forma, at probatum eſt vnionem diſtingui à Materia, & Forma, ergo probatum eſt, eam diſtingui à parti-

bus,

bus, quæ vniuntur, non quidem reduplicatiuè prout vniuntur, ſed ſpecificatiuè, quæ vniuntur. Si vis, vt Vnio diſtinguatur à partibus vnitis prout vnitis, hoc non fido, & eſt præter intentum Modalſtarum; quia idem eſt dicere, vnio diſtinguitur à partibus vnitis prout vnitis, ac dicere Vnio diſtinguitur ab vnione; hoc non eſt in quæſtione; neque albedo diſtinguitur à pariete albo prout albo, quia tò *prout* dicit ipſam albedinem; omne quod eſt tale prout tale, eſt eſſentialiter tale; & tamen abſolutè, & ſimpliciter eſt vera hæc propoſito, albedo diſtinguitur realiter à pariete, quem albificat; & vera eſt hæc alia, paries eſt albus per aliquid à ſè diſtinctum; item hæc alia, ratio formalis coſtitutiua parietis in eſſe albi, eſt realiter diſtincta à pariete. Sic pariter in noſtro caſu, licet Vnio non diſtinguatur à partibus vnitis,

prout

prout vnitis, nihilominus abſolutè, & ſimpliciter ſunt veræ iſtæ propoſitiones. Vnio diſtinguitur realiter à partibus quas vnit; Materia, & Forma vniuntur per quid diſtinctum à ſe ipſis; Ratio formalis coſtitutiua partium in eſſe Vniti, eſt realiter diſtincta ab ipſis partibus. Hoc eſt intentum, & hoc eſt efficaciſſime probatum.

Hæ ſunt reſponſiones, quas comuniter huic argumento tribuunt nominales in quorum ſententiam aliquando eram, nunc autem *euacuaui, quæ erant paruuli*; Solutio mihi non ſuppetit. D. Thomas non eſt Vnioni aduerſus, vt comuniter defenduat; noſtri Complutenſes; admittamus, ergo modum in rebus, eſt enim indecens, philoſophum non habere modum.

AR.

# ARGVMENTVM XIV.

*Contra Fautores Vnionis diſtinctæ.*

QVando dico Vnio eſt Materia, & Forma ſimul, non dico aliquid diſtinctum à Materia, & Forma, ergo Vnio non eſt aliud à Materia, & Forma.

Prob. ant. Si dicerem aliquid diſtinctum, hoc vtiquè importaretur per illam particulam *ſimul*, ſed per illam nihil importo diſtinctum à Materia, & Forma, ergo, &c.

Prob. min. Quando dico ſimilitudo, ſunt duo alba *ſimul*. Duratio, ſunt Res, & Tempus *ſimul*, nihil dico diſtinctum à duobus albis, à Re, & Tempore, ergo pariter, quando dico Vnio eſt Materia, & Forma, *ſimul*, nihil dico diſtinctum à Materia, & Forma.

Prob. Conſ. Suppono enim veritatem vtriuſque partis ante-

cedentis, vel particula *ſimul* ſemper ſignificat quid diſtinctum, vel nunquam, non enim eſt maior ratio, quare in vno caſu ſignificet, in alio non, quid diſtinctum, ſed in relatione, & Duratione non importat quid diſtinctum, ergo neque in Vnione.

*Soluitur.*

ADuertendo dari, ſimultatem, quæ importat ſimplicem coexiſtentiam duorum, & aliam ſimultatem, quæ præter coexiſtentiam, aliquid aliud importat v. g. eſſe in eodem loco, in eadem Re, &c. Simultas importans ſimplicem coexiſtentiam, non ſignificat aliquid diſtinctum à coexiſtentibus, vt patet in binario, quid enim eſt binarium, niſi duas Vnitates ambas exiſtere? præter quas exiſtentias duorum, nil aliud ſignificat. Simultas vero ſignificans aliquid aliud à coexiſtentia,

ſtentia, importat ſemper modum diſtinctum ſicuti eſt ſimultas loci, & locati, quæ importat Vbicationem diſtinctam; non enim ſufficit vt ſolum exiſtant hic locus, hoc corpus, vt hoc corpus ſit in hoc loco; ergo hæc ſimultas loci, & locati aliquid aliud ſignificat à coexiſtentia loci, & locati; his poſitis, aſſignatur diſparitas, quare quando dico ſimilitudo, eſt duo alba ſimul; Duratio, eſt Res, & Tempus ſimul non dico modum diſtinctum, quem poſtea dico per hoc quod Vnio ſit Materia, & forma ſimul? quia in ſimilitudine, & in Duratione ly *ſimul* importat ſimpliciter coexiſtentiã duorum, quæ nunquam diſtinguitur à duobus exiſtentibus; at verò in Vnione tò *ſimul* non importat ſimplicem coexiſtentiam Materiæ, & Formæ, ſed vlterius inexiſtentiam Formæ in Materia; quia per hoc quod præcisè, Materia, & Forma exiſtant, non habe-

habetur Vnio; at per hoc præciſè quod duo alba exiſtant, habetur ſimilitudo; & per hoc præciſè, quod hæc res, & hoc Tempus exiſtant, habetur Duratio; & quod hoc verum ſit; aſſigna mihi duo alba, quæ ſimul exiſtant, & non ſint ſimilia, aſſigna aliquam rem, & aliquam v. g. horam, quæ ſimul exiſtant abſque eo quod Res duret illi horæ, ſicuti ego aſſigno tibi Materiam, & Formam D. Petri, quæ ſimul exiſtunt abſque vnione; ergo non Relatio, non Duratio, ſed Vnio per ly *ſimul* importat modum diſtinctum à coexiſtentia extremorum.

AR.

# ARGVMENTVM XV.

*Contra eos, qui dicunt Compoſitum ſubſtantiale, eſſe ſubiectum Accidentium, & conſequenter dari reſolutionem, vſque ad Materiam primam.*

EX eo quod Accidentia ſubiectentur in Compoſito, non ſequitur, ea debere deſtrui, deſtructo Compoſito, ſed hoc eſt præcipuum fundamentum huius ſententiæ, ergo cum hoc ſit nullum, ſententia, eſt falſa.

Prob. mai. Ex eo quod accidentia ſubiectentur in compoſito, non ſequitur, ea dependere in conſeruari à Compoſito, ergo ex eo quod ſubiectentur in Compoſito non ſequitur ea debere deſtrui deſtructo Compoſito.

Prob. antec. Magis Dependet Materia à Forma, quam accidentia à Compoſito, ſed per hoc quod Materia dependeat à Forma non ſequi-

ſequitur, eam dependere in conſeruari à tali Forma, ergo à fortiori per hoc quod pendeant accidentia à Compoſito non ſequitur, ea dependere à tali Compoſito in conſeruari.

Maior patet: Quia Materia per hos Authores taliter dependet à Forma, vt neq; ſupernaturaliter poſſit exiſtere ſine omni forma. Accidentia verò ſaltem ſupernaturaliter poſſunt exiſtere ſine omni Compoſito, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, ex quo arguitur, per ipſos magis dependere Materiam à Forma, quam accidentia à Compoſito.

Minor etiam liquet. Quia etiam per Thomiſtas Materia, quæ exiſtit, ſub forma ligni, non deſtruitur, cum deſtruitur forma ligni, ſed tranſit ſub forma ignis, ergo quamuis Materia dependeat in conſeruari à forma ſubſtantiali in comuni non tamen dependet à tali, vel tali forma, itaut ſine tali

for-

forma in indiuiduo non poſſit conſeruari naturaliter.

Conſequentia probatur à pari, & quidem efficaciter; non obſtante maiori dependentia, quam habet Materia à Forma in comuni, nihilominus poteſt naturaliter conſeruari ſine, hac, vel illa Forma, ergo à fortiori non obſtante dependentia, quam dicunt accidentia à Compoſito in comuni, poterunt tamen conſeruari naturaliter ſine hoc, aut illo Compoſito.

Vrgeo magis; ſemper eadem Materia numero tranſit de eſſe ſub forma ligni ad eſſe ſub forma ignis; quare ergo eadem numero accidentia ſtando veſtris principijs, non poterunt tranſire de eſſe in compoſito ligni, ad eſſe in Compoſito ignis?

Oh. Accidentia dependent non ſolum à Compoſito, vt ſic, verum etiam à tali Compoſito.

Hoc inquiritur, quare Materia,

ria, quæ magis depēdet à Forma; quam dependeant accidentia à Compoſito, dependeat tantum à forma in comuni, non verò à tali, & accidentia dependent à tali etiam Compoſito?

Oh. Dices, Accidentia ſunt tenuiſſimæ entitatis, ſunt eſſentiolæ, quidditatulæ, &c. ergo non poſſunt conſeruari ſine Compoſito, quod eſt eorum ſubiectum.

Benè. Sint accidentia, non ſolum entiola, vt dicis, ſed entiuncula, quid ex hoc? non poſſunt conſeruari ſine Compoſito, fateor, vt libet, at quare non poſſunt conſeruari ſine hoc, aut illo Compoſito? quare non poſſunt tranſire de vno, in aliud? eo modo quo Materia, tranſit de vna ſub alia forma? dummodo magis Materia dependet à forma, quam accidentia à Compoſito?

Dices; diſparitas eſt, quia accidentia non poſſunt migrare de ſubiecto in ſubiectum, at verò

Mate-

Materia poteſt migrare de vna in aliam formam.

Semper petis principium; nam hoc inquiritur, quare deſtructo vno Compoſito, non poteſt ſubintrare aliud, ad ſuſtentanda accidentia, & deſtructa vna forma, alia ſubintrat, ad dandam materiæ exiſtentiam, vt putatis? hoc idem eſt, ac quærere, quare Materia migrat de vna in aliam formam, & accidentia, quæ minus, quam Materia dependent à compoſito, non poſſunt migrare de vno in aliud Compoſitum?

Reſpondes; hoc eſſe proprium accidentis, non poſſe migrare de ſubiecto in ſubiectum, vnde non eſt petendum quare quia iam peruenimus ad primum, & comuniſſimum principium; quod ſcilicet Accidens non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum.

Contra, nolo amplius tè interrogare per *quare* ſed per *vnde*; inquiro igitur vnde colligis pro-

prium

prium eſſe accidentium ea non poſſe migrare de ſubiecto, in ſubiectum? quod nam veſtigiũ habes huius proprietatis; vnde infers? ex quo colligis? niſi ex dependentia? & ſic vrget argumentum; magis dependet Materia à Forma, quam accidentia à Compoſito, ſed hoc non obſtante,non deſtruitur Materia, deſtructa tali forma, ſed tranſit ſub alia, ergo non deſtruuntur accidẽtia deſtructo tali Compoſito, ſed tranſeunt in alio, ac proinde non datur Reſolutio vſque ad Materiam primam, etiamſi ſupponatur ſubiectum accidentium, eſſe totum Compoſitum.

### *Soluitur.*

NOnnullus ità hoc argumentum extollit plauſibus, vt fateatur, non eſſe contra amicos proponendum, ego non inuenio in eo tantum robur, vt facillimè

ſolui non poſſit ſtando principijs Thomiſtarũ pro quibus; Reſpondeo, ad id in quo tota difficultas reducitur. Viſnè ſcire Quare materia, licet magis dependeat à Forma, quam Accidentia à Compoſito, eadem numero migrat de vna in aliam formam? Quia Forma non ingreditur, vllo modò ad indiuiduandam materiam, non enim materia eſt hæc, quia habet hanc formam, ſed potius è contra, quia materia eſt principium indiuiduationis formæ non Forma materiæ per Thomiſtas, igitur quamuis formæ varientur, nihilominus materia ſemper remanet eadem numero, quia variatio Formæ non eſt variatio principij ex quo materia indiuiduetur. Viſnè ſcire, quare accidentia non poſſint remanere eadem numero deſtructo Compoſito, ſed alia ſimilia aduenianţ? quia Compoſitum cum ſit ſubiectum accidentium, eſt principium indi-

indiuiduationis ipſorum, variato principio indiuiduationis, variari indiuiduatum neceſſe eſt; hinc eſt, quod per Thomiſtas, non poſſunt plura accidentia ſolo numero diſtincta eſſe in eodẽ Compoſito; hinc eſt, quod per eoſdem Intenſio non fit per additionem gradus, ad gradum, ſed per maiorem Radicationem. Ecce Vniformitas principiorum; Ex eo enim, quod quodlibet indiuiduetur à ſuo ſubiecto, ſequitur, quod cum ſubiectum accidentium ſit totum Compoſitum, non poſſint remanere hæc accidentia numero, cũ variatur hoc numero Compoſitum. Igitur, ratio quare detur Reſolutio accidentium in deſtructione Compoſiti, non eſt mera dependentia ipſorum, (ſic enim vrgeret argumentum) ſed eſt, quia accidentia dependent à Compoſito, tanquam à principio indiuiduationis, quo modo non dependet Materia à Formá

licet magis, in alio genere depen-
deat; Et ſic argumentum, hoc, licet aliter ingenioſum, etiam ſi fiat contra amicos facillimè ſoluitur.

# ARGVMENTVM XVI.

*Contra negantes Compoſitum eſſe quid aliud tertium realiter diſtinctum à partibus ſimul ſumptis.*

Cauſa Realis, realiter diſtinguitur à ſuo effectu; Materia, & Forma vnitæ, ſunt cauſa realis Compoſiti, ergo Materia, & Forma vnitæ diſtinguntur realiter à Compoſito; & ſic Compoſitum eſt quid tertium à partibus.

Reſponderi ſolet diſtinguendo minorem. Materia, & Forma diſtributiuè acceptæ ſunt cauſa, &c. C. min. Collectiuè ſumptæ N. min.

Con-

Contra. Materia, & Forma diſtributiuè acceptæ, vel ſunt vnitæ, vel diuiſæ, ſi primum, ergo ſtat ſemper quod Materia, & Forma vnitæ diſtinguantur realiter à Compoſito, & hoc eſt intentum Arguentis. Si ſecundum, ergo Materia, & Forma diuiſæ cauſant Compoſitum? quid falſius? Materia, & Forma D. Petri, quæ nunc ſunt diuiſæ, cauſant fortaſſe Compoſitum D. Petri?

Reſpondent. Sunt quidem vnitæ, quando cauſant, ſed non collectiuè, benè tamen diſtributiuè.

Non Capio; quomodo poſſint duo ſumi in ſenſu diſtributiuo, & vnitim; putabam diſtributiuè ſumere plura, eſſe idem, ac ea ſumere in ſenſu diuiſo, quid quid tamen ſit de hoc, ex hac reſponſione ſemper habetur Compoſitum eſſe entitatem tertiam à partibus vnitis, quomodocumque ea ſumantur, ſiuè diſtributiuè,

ſiue collectiuè, hoc enim non tollit, quin Arguens non habeat ſuum intentum.

Alij renſpondent ad eandem minorem eam diſtinguendo ſic; Materia, & Forma vnitæ ſunt cauſa realis Compoſiti, ſi vna venit in recto, & alia in obliquo C. ſi ambæ in recto N.

Contra; ſiue ambæ accipiantur in recto, ſiuè vna in recto, & altera in obliquo; Concedis nè Compoſitum diſtigui realiter à partibus vnitis nec nè? ſi primum das quod vult Arguens, parum ipſe curat dè recto, & obliquo, ſcit enim, has voces, non immutare obiectum à p. r. quia rectum, & obliqum ſunt ſecundæ intentiones, vnde ſiue dicas *Materia*, *& Forma*, ſiue *Materia cum Forma*, dummodo veniant vnitæ, nulla habetur variatio à p. r. ſi ſecundum, ergo dicis quod Materia, & Forma cauſant Compoſitum, quando non ſunt vnitæ;

quod

quod eſſe abſurdum, adhuc manibus palpatur.

Alij diſtingunt maiorem: Omnis cauſa realis, realiter diſtinguitur à ſuo effectu, ſi cauſa eſt extrinſeca concedunt, ſi eſt intrinſeca Negant maiorem.

Contra. Cauſa in comuni eſt *Principium influens eſſe in aliud*. tò *aliud*, quid importat? diſtinctionem, vel diuerſitatem naturę, vnde Pater æternus, quia non eſt Cauſa Verbi Diuini, non influit eſſe in *aliud* ſed in *alium*, quia *Alius* ſignificat diſtinctionem ſuppoſiti; & *Aliud*, Naturæ, ergo omnis Cauſa influit eſſe in aliud, ergo omnis effectus eſt aliud à ſua cauſa, ac proinde realiter diſtinctus ab ipſa, & ſic non ſolum Cauſa extrinſeca, ſed etiam intrinſeca (ſi verè nomen meretur Cauſæ) diſtinguetur realiter à ſuo effectu, at Compoſitum, eſt effectus Materiæ, & Formæ inter ſe vnitarum, ergo eſt quid ter-

tium realiter diſtinctum ab illis.

Reſpondent Alij; Materiam, & Formam eſſe Cauſas partiales Compoſiti, ita vt Materia *ſit* vna Cauſa, ſed partialis, altera etiam partialis ſit Forma, ex quò ſequitur, quamlibet ex illis realiter diſtingui à Compoſito, quod verum eſt, quia valent iſtæ propoſitiones, *Materia à p. r. non eſt Compoſitum; Forma à p. r. non eſt Compoſitum*. At non valet hæc, *Materia, & Forma à p. r. non ſunt Compoſitum*; quia quando dico, *Materia, & Forma* in ſenſu compoſito, dico ipſum Compoſitum, ac proinde nõ dico amplius Cauſas partiales Compoſiti.

Contra. Materia eſt vna Cauſa partialis, Forma eſt altera cauſa partialis, ergo Materia, & Forma vnitæ efformant vnicam Cauſam totalem; quia duæ Cauſæ partiales ſimul vnitæ vnam Cauſam totalem efformant; ſed non minus Cauſa partialis, quam totalis

talis debet realiter diſtingui à ſuo effectu, ergo non minus Materia diſtinguetur à Compoſito, ac diſtinguentur ab eodem Materia, & Forma ſimul.

Alij tanden reſpondent, quod Materia, & Forma vnitæ cauſant Compoſitum in fieri, non in facto eſſe, ex quò, tantum diſtinguntur à Compoſito in fieri, non à Compoſito in facto eſſe.

Contra. Quando dicis quod Materia, & Forma vnitæ diſtinguntur à Compoſito in fieri, dicis nè quod diſtinguantur à fieri Compoſiti, hoc eſt ab illa actione, qua Compoſitum fit, vel quod diſtinguātur etiam ab ipſo Compoſito, quod fit? Si primum ecce falſitas manifeſta, nam Materia, & Forma, non cauſant fieri Compoſiti, quia illa actio, quà Compoſitum fit, eſt forma ſimplex, & non conſtat ex Materia, & Forma; argumentum procedit inferendo diſtinctionem ex ratione

Cauſæ, ſed non cauſatur à Materia, & Forma illud fieri ergo quamuis diſtinguatur ab illis, attamen hoc non eſt ad rem, ſed omninò impertinens ad id quod quæritur. Si primum, ergo verè Materia, & Forma diſtinguntur à Compoſito quod fit, ergo etiam à compoſito in facto eſſe; non enim poteſt intelligi, quod vnum, & idem Compoſitum, quando fit diſtinguatur à ſua Cauſa, & quando eſt factum, identificetur cum illa.

### *Soluitur.*

NEgando abſolutè min. Materia, & Forma vnitæ cauſant Compoſitum, eſt propoſitio omnimodè falſa: à quo ergo cauſatur Compoſitum? ab Agente; ſi tanquam à cauſa effectiua, ſed inquiro à quo cauſatur, tanquam à cauſa receptiua, & informatiua? Nego ſuppoſitum, non datur Cau-

ſa

ſa receptiua, nec informatiua Compoſiti, Compoſitum, nec recipitur, nec informatur, ſed Materia eſt cauſa receptiua formæ, Forma eſt Cauſa informatiua Materiæ, non Compoſiti; quod eſt clariſſimum. Materia cauſat recipiendo, ergo cauſat, quod recipit, Forma cauſat informando, ergo cauſat, quod informat, & ſic ſunt ad inuicem in diuerſo genere Cauſæ, ergo ad inuicem debent diſtingui, non à Compoſito cuius, non ſunt Cauſæ.

Petes, quomodo ergo ſe habent Materia, & Forma circa Compoſitum?

Reſpondeo, vt Coſtitutiua ipſius; ergo (inferes) vt Cauſæ; inepta Conſequentia; Animal, & rationale coſtituunt hominem, ergo cauſant hominem? Cauſa eſt id *quod influit eſſe in aliud*. Coſtitutiuum eſt id quo res conſtat. Quantitas conſtat ex partibus, ergo cauſatur à partibus? niſi ve-

lis abuti terminis hoc non deduces; igitur ſtat, quod licet Compoſitum coſtituatur, ex Materia, & Forma, non tamen cauſatur ab illis, vel ex illis (vt vis) ergo non diſtinguitur realiter ab illis, quia coſtitutum, non poteſt realiter diſtingui à ſuo eſſentiali, & intrinſeco coſtitutiuo.

## ARGVMENTVM XVII.

*Contra eos, qui negant in Compoſito viuenti, præter animam dari formam quandam ſubſtantialem materialem Corporeitatis conſtitutam ex pluribus formis ſubſtantialibus materialibus, partialibus.*

DAtur Sacramentum Euchariſtiæ, ergo datur forma Corporis de qua contenditur.

Prob. Conſ. Datur Sacramentum Euchariſtiæ, ergo datur tran-

ſub-

ſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, ergo datur forma Corporis diſtincta, &c.

Prob. ſecundam Conſ. Datur Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, ergo datur terminus *ad quem* huius tranſubſtantiationis, ergo datur forma Corporis.

Prob. ſecunda Conſ. Terminus *ad quem* huius conuerſionis, non poteſt eſſe forma rationalis, nec poſſunt eſſe accidentia organica, ergo debet eſſe forma quædam ſubſtantialis, diſtincta realiter ab anima, ergo forma Corporis.

Prima pars antec. quæ eſt contra Thom. probatur Terminus *ad quem* huius conuerſionis, debet per sè formaliter venire in eadem conuerſione, ſed Anima ex Tridentino venit in hac conuerſione tantum concomitanter, ergo anima non eſt terminus *ad quem* huius conuerſionis.

Reſpondent. Quod Anima,

vt forma viuens venit concomitanter, & hoc intendit definire Tridentinum, at vt forma Corporis venit formaliter; Anima ſiquidem eſt forma coſtitutiua Viuentis, & coſtitutiua Corporis, ſub prima acceptione non terminat per ſe formaliter hanc conuerſionem, benè tamen ſub ſecunda.

Contra. Anima nullo modo per ſe formaliter terminat hanc conuerſionem, ergo nulla diſtinctio.

Prob. ant. Terminus per ſe formaliter requiſitus, ad aliquam actionem, talis eſt, vt ſine ipſo nequeat haberi actio, cuius eſt terminus, ſed ſine anima etiam vt forma Corporis, poteſt haberi conuerſio panis in Corpus Chriſti, ergo anima nullo modo per sè formaliter terminat hanc conuerſionem.

Maior non videtur neganda; nam, quod per sè formaliter re-

quis-

quiritur, eſſentialiter requiritur, at ſine eſſentiali requiſito, non poteſt haberi id ad, quod requiritur, ergo ſine termino per ſe formaliter requiſito, non poteſt haberi actio ad quam requiritur.

Probatur igitur min. In triduo mortis Chriſti, ſi aliquis Apoſtolus conſecraſſet, vtique panis conuerſus eſſet in Corpus Chriſti, & nullo modo hæc conuerſio terminata eſſet ad Animam rationalem, quia hæc nullo modo veniſſet; ergo ſine anima etiam vt forma Corporis poteſt haberi conuerſio euchariſtica.

Reſpondent in tali caſu, hæc conuerſio terminata eſſet ad formam Cadauericam, quæ tunc informabat materiam Corporis Chriſti.

Benè; ergo ſemper ſtat, quod hæc conuerſio non terminetur per sè formaliter ad animam, ſicque haberi poteſt quod intendo pro nunc.

De-

Deinde argumentor; hæc conuerſio per sè formaliter non terminatur ad animam, nec ad formam Cadaueris, ergo aſſignari debet aliquis terminus *ad quem* per sè formaliter terminetur. anteced. patet, quia ſine vtraque hæc conuerſio haberi poteſt.

Reſpondent. Per sè formaliter hanc conuerſionem terminari ad aliquam formam coſtitutiuam Corporis, ſiue hæc forma, ſit Viuens, ſiue Cadauerica, ab hoc enim præſcindit, & quia æquè benè Corpus haberi poteſt, ſiue per animam, ſiue per formam Cadauericam, ideo ad vtramque, hæc conuerſio per sè formaliter terminatur, non collectiuè, ſed diſiunctiuè, ſiue ad vnam, ſiue ad aliam.

Contra. Non poteſt eadem actio per sè formaliter terminari ad formas diuerſæ ſpeciei, quia actio ſpecificatur à termino formali *ad quem*, ergo ſi conuerſio

panis

panis in Corpus Chriſti, nunc ſpecificaretur ab anima, in triduo mortis Chriſti, vtpote terminata ad formam Cadaueris fuiſſet alia conuerſio ſpecie diuerſa ab ea, quæ nunc eſt, ac proinde fuiſſet etiam ſpecie diuerſam Sacramentum, ac Sacrificium ab eo, quod nunc conficitur, quia fuiſſet diuerſum ſpecie Corpus Chriſti, penes quod attenditur identitas, vel diuerſitas conuerſionis, & Sacrificij.

Nec obſtat identitas materiæ nam etiam Homo, & Leo habent eandem ſpecie materiam, & tamen propter ſolam diuerſitatem formarum ſpecie ſimpliciter, & abſolutè differunt.

Nec obſtat, identitas accidentium, primò quia hanc negant Thom. ſecundò, quia accidentia non pertinent ad diuerſitatem, vel identitatem conuerſionis panis in Corpus Chriſti, quæ perinde vocatur tranſubſtantiatio, quia

reſpi-

reſpicit prò termino formali ad *quem* non accidens, ſed ſubſtantiam.

Nec obſtat identitas ſuppoſiti. ( *Ad quam recurrit Illuſtriſsimus noſter Orlandus, olim Generalis Ordinis, nunc Epiſcopus Cæphaludenſis, in vtraque dignitate ſemper inſignis.*) Non obſtat inquam, quia ſubſiſtentia impertinenter ſe habet ad coſtituendum Corpus Chriſti, quandoquidem eius munus non eſt Corpus, ſed Perſonam coſtituere.

Claudo totum argumentum. Diuerſæ ſpecie formæ diuerſos in ſpecie effectus formales habent; Corpus Chriſti, nunc eſt effectus formalis animæ, in triduo mortis erat effectus formæ Cadaueris, ergo licet alioquin fuiſſet eadem materia, idem ſuppoſitum, eadem organa nihilominus propter ſolam diuerſitatem formarum, Corpus Chriſti eſt effectus formaliter, & ſpecificè diuerſus, ergo ſi tunc

ſi tunc Apoſtolus conſecraſſet, illa fuiſſet conuerſio ſpecie diuerſa, & Sacramentum, & Sacrificium ſpecie diuerſum, ab eo quod nunc conficitur à nobis; quæ non ſolum abſurda, ſed parum conſona dogmatibus fidei ab Authoribus contrariæ ſententiæ iudicantur.

Quod Terminus formalis, ad quem huius conuerſionis nō poſſint eſſe accidentia organica, vt putant Nominales.

Prob. facilius, nam hæc conuerſio vtpotè ſpecificata à ſuo termino *ad quem*, non eſſet tranſubſtantiatio ſicuti eam vocat Eccleſia, ſed eſſet tranſaccidentatio, quod ſine periculo errandi in materia tam ſcrupoloſa dici non poteſt.

*Soluitur*.

HOc argumento vtitur noſter Bachonius, qui (vt refert noſter doctiſſimus Aymo in ſuo

ſuo curſu Philoſophico) circa hanc quæſtionem ſentit cum Scoto, admittendo formas partiales, quò argumento neſcio, an poſſint vti Scotiſtæ, per quos conuerſio euchariſtica, eſt ſimplex annichilatio, igitur non poſſunt premere ſupra terminum ad *quem* huius conuerſionis, nam annichilatio non habet alium terminum ad *quem* niſi nihilum rei, quæ deſinit eſſe. Militat hæc obiectio, contra Thomiſtas, & Nominales vt vides; pro vtraque ſententia conabor reſpondere, & pro Thomiſtis;

Reſpondeo, Animam ſimul cum Materia coſtituere corpus ſubſtantiale, viuens, conſequenter conuerſionem panis in Corpus Chriſti, habere pro termino formali, ad quem Materiam, & Animam Chriſti, non vt formam ſpiritualem, viuentem, ſed vt formam Corporis ſcilicet, vt virtualiter, ſeù (vt alij dicunt) vt formali-

maliter Corpoream.

Porrò in abſentia animi rationalis in triduo Mortis Chriſti, ſi aliquis Apoſtolus conſecraſſet, terminus ad quem conuerſionis fuiſſet, Materia, & forma Cadauerica, non, vt dicentem negationem Vitæ, ſed vt coſtituentem ſimul cum materia Corpus ſubſtantiale; & quando petitur quinam ſit terminus formalis perſe formaliter requiſitus ad hanc conuerſionem, dico eſſe ſiue Animam, ſiue formam Cadaueris, vtraque enim poteſt formaliter coſtituere Corpus.

Ad vltimam, & præcipuam inſtantiam, in qua dicitur quod eſſent duo Corpora Chriſti ſpecie diuerſa, propter diuerſitatem ſpecificam formarum, dico hoc abſurdum non ſequi, quia multoties, formæ ſpecie diuerſæ conueniunt in vno effectu formali ſpecifico ſecundario quidem non primario, quando ſcilicet hic ef-

fectus formalis eſt æqu uocus, non vniuocus, taliter videlicet procedens ab vna forma, vt ſine variatione ſpecifica ſui poſſit procedere ab alia forma, etſi ſpecie diuerſa. Exemplifico; forma ignis coſtituit ſimul cum Materia Calidum, formá Solis idem Calidum cum eius Materia adſtruit; iſtæ ſunt formæ ſpecie diuerſæ, at Calidum quod eſt effectus vtriuſque, ſiue habeatur per vnam, ſiue per aliam, eſt ſemper idem in ſpecie; quare? quia Calidum eſt effectus ſecundarius vtriuſque formæ, vnde eſt effectus æquiuocus taliter procedens ab vna, vt ſine ſui ſpecifica variatione poſſit procedere ab alia.

Applico; Corpus eſt effectus cuiuſcumque formæ quæ voleat ſimul cum Materia ipſum coſtituere; vnde licet alioquin forma rationalis, ſit ſpecie diuerſa à forma Cadaueris, nihilominus conueniunt hæ formæ interſe quò ad

hoc

hoc, quod eſt coſtituere Corpus humanum in eſſe Corporis humani, non in eſſe Corporis viui, vel mortui, conſequenter, cum Corpus humanum ſit effectus ſecundarius animæ rationalis (cuius primarius eſt coſtituere hominem & ſecundarius etiam formæ Cadauericæ (cuius primarius eſt, coſtituere Cadauer) ſequitur quod ſit effectus æquiuocus, proindeque taliter procedens ab vna vt ſine ſui variatione ſpecifica haberi poſſit ab alia: & ſic ſi Apoſtolus aliquis in triduo mortis Chriſti conſecraſſet, non veniſſet Corpus diuerſæ ſpeciei ab hoc, quod venit nunc (loquor in eſſe Corporis,) nec fuiſſet illud Sacramentum, nec Sacrificium ab hoc noſtro diuerſum in ſpecie.

Prò Nominalibus verò dicētibus Corpus humanum haberi formaliter per Accidentia organica, & Materiam, & completiuè per Animam, & in eius abſentia per for-

formam Cadaueris, etiam facili-
ter Reſpondetur, quod in triduo
mortis Chriſti terminus ad quem
conuerſionis, fuiſſet idem, ac ille,
qui eſt nunc ſcilicet materia, &
organa, & tantum variatio fuiſſet
in forma completiua, quia tunc
hoc Corpus organicum veniſſet,
vt completum per formam Cada-
ueris, nunc verò venit, vt com-
pletum per animam rationalem.
Ad inſtantiam, quà Arguens in-
fert, hanc conuerſionem non fore
tranſubſtantiationem, ſed tranſ-
accidentationem, quia terminus
*ad quem* non eſſet ſubſtantia, ſed
aceruus accidentium, dico, quod
hæc conuerſio dicitur tranſub-
ſtantiatio, eo quia terminus *ad
quem* eſt materia, & organa, ma-
teria eſt ſubſtantia, ergo hæc con-
uerſio habet pro termino ad quē
ſaltem inadequato ſubſtantiam.
Ad ſummum inferri poteſt hanc
conuerſionem, forè inadequatè
tranſaccidentationem, eo quia,
ter-

terminus ad quem non ſolum eſt materia, ſed etiam cumulus ille accidentium; hanc ſequelam concedet Nominalis, cum nullum Concilium vſque nunc definierit, hanc conuerſionem eſſe adequatè tranſubſtantiationem. Quod ſi Concilia eam vocant ſimpliciter & abſolutè tranſubſtantiationem, hoc ( dicet ipſe ) prouenire ex eo quod omnis denominatio ſumatur à nobiliori, & quia in hoc termino ad quem, adſunt Materia, & accidentia, & quia Materia, vtpotè ſubſtantia, eſt nobilior accidentibus, hinc abſolutè, & ſimpliciter, hæc conuerſio dicitur tranſubſtantiatio.

# ARGVMENTVM XVIII.

*Contra eos qui negant dari actionem diſtinctam.*

POteſt exiſtere in rerũ natura hęc cauſa,& hic effectus abſq; eo quod hæc cauſa producat hunc effectum, ergo hoc quod eſt, hanc cauſam producere actu hunc effectum eſt aliquid ſeparabile, ac proindè realirer diſtinctum ab hac cauſa, & hoc effectu etiam ſimul ſumptis; ſed hoc aliquid ſeparabile, & diſtinctum nequit eſſe niſi actio, ergo actio diſtinguitur à cauſa, & effectu.

Probatur antecedens, quia de facto à parte rei exiſtit Petrus qui produxit Ioannẽ, & exiſtit etiam à p. r. Ioannes, & tamen de facto Petrus non producit Ioannem, ergo hoc quod eſt actu Petrum producere Ioannem importat aliquid diſtinctum, quia ſeparabile a Petro, & Ioanne.

Reſ-

Reſpondent primo Nominales hoc quod eſt Petrum actu producere Ioannem non eſt aliud diſtinctum à Petro, & Ioanne, ſed importat ſolummodò Ioannem actu recipere ſuum eſſe à Petro, cæterum nulla actio diſtincta datur.

Sed contra, nam inquiro hoc quod eſt Ioannem actu recipere ſuum eſſe à Petro importat aliquid diſtinctum à Petro, & Ioanne, nec ne? Si ſecundum ergo ſemper quod habetur Petrus, & habetur Ioannes, Ioannes debet recipere ſuum eſſe à Petro, ſed de facto exiſtit Ioannes, qui non recipit actu ſuum eſſe à Petro, ergo falſum eſt quod ly recipere non importet aliud niſi Petrum, & Ioannem; ſi primum, ſumo ly recipere, & dico hic terminus iam ſignificat aliquid diſtinctum à Petro, & Ioanne, ergo importat actionem, nam nequit importare aliquam ſubſtantiam, vt de ſe pa-

tet, ergo aliquod accidens, quod eſt via per quam Ioannes ponitur à parte rei exiſtens, & producitur, quod accidens dicimus nos eſſe modum diſtinctum, & vocamus actionem intermediam.

Reſpondent ſecundo, Ioannem actu produci à Petro non importare aliud niſi Ioannem actu dependere à Petro.

Sed contra quia ſumo ly dependere, & inquiro importat ne aliquid plus ſupra Petrũ, & Ioannem, necne? Si ſecundum: ergo Ioannes ſemper dependebit à Petro, & ſic ſemper producetur à Petro, quia in hac dependentia per vos conſiſtit formaliter productio, quod ſi ſit abſurdum vos videtis; ſi primum hoc aliquid plus, erit id per quod Ioannes actu producitur, quod nos vocamus actionem intermediam.

Secundo Vrgeo ſic; ſemper quod habetur dependentia, propter aliquid habetur, dicant igitur

tur mihi Nominales per quid Ioannes actu dependet à Petro, niſi quia actu producitur à Petro? qua habita reſponſione, ſumo ly producitur, & dico hic terminus non ſignificat Petrum, nec Ioannem, quia de facto exiſtunt Petrus, & Ioannes, & neuter producitur, nec ſignificat dependentiam, quia eſt id ſupra quod fundatur dependētia, ergo actionem diſtinctam.

Reſpondent tertio Petrum actu producere Ioannem non importare aliud niſi Petrum in ratione cauſæ facere complexum cum Ioanne in ratione effectus; ſic Madernus qui ſemper eſt cum ſuis complexis.

Sed contra, nam inquiro per quid habetur hoc complexum in hoc inſtanti, & non in illo altero, non quia exiſtant Petrus, & Ioannes, quia etiam iſti exiſtunt in altero inſtanti abſque eo quod faciant hoc tuum complexum, ergo

hoc complexum importat aliquid plus diſtinctum à Petro, & Ioanne: quod ſi dicas in altero inſtanti exiſtere quidem Petrum, & Ioannem, ſed non in ratione cauſæ, & effectus; inquiro quid habebant Petrus, & Ioannes in primo inſtanti per quod exiſtebant in ratione cauſæ, & effectus, quod non habent in altero inſtanti? neſcio ſi aliter reſponderi poteſt niſi quod in primo inſtanti erat actio productiua intermedia, quæ conſtituebat Petrũ in eſſe cauſę actualis, & Ioannem in eſſe effectus actualis, quæ actio cum non ſit in altero inſtanti, ideò nec Petrus eſt actu cauſa, nec Ioannes eſt actualis effectus, & habeo intentum.

Reſpondent alij quartò Ioannem actu produci à Petro non importare aliud niſi Petrum eſſe actu applicatum à Deo circa productionem Ioannis.

Alij dicunt quinto Petrum actu

pro-

producere Ioannem, vel è contra non importare aliud niſi Petrum, Ioannem, & decretum Dei, quo Deus determinet volo, vt Petrus nunc producat Ioannem.

Sed contra primam, quia tenentur explicare Aduerſarij quomodo Deus applicet Petrum ad productionem Ioannis abſque eo quod in Petro reſultet noua actio, hoc enim importat per vos Deũ applicare Petrum ad productionem ſui effectus, nimirum Deum concurrere ſimul cum Petro ad productionem effectus; quo poſito reſultat difficultas an Petrus concurrat ad productionẽ Ioannis media aliqua actione diſtincta, vel non; ſi ſecundum contra eſt, quia de facto habentur Deus, Petrus, & Ioannes, & tamen non habetur ea applicatio, quia ſi haberetur, haberetur productio, ergo hæc applicatio erit aliquid diſtinctum, quia ſeparabile à Deo, Petro, & Ioanne, quod diſtin-

ctum nos vocamus actionem.

Contra ſecundam;quia illud decretum Dei debet habere terminum, quo poſito, inquiro ad hoc vt Deus velit ſuo decreto Petrum producere Ioannem, quid velle debet? Petrum ne tantũ, vel Ioannem, vel aliquid aliud diſtinctum ab ipſis? non primum, quia de facto Deus vult Petrum, & Ioannem, & tamen non vult Petrum actu producere Ioannem, ergo ſecundum, ergo Deus debet velle etiam aliquem modum intermedium inter Petrum, & Ioannem, vt poſſit velle illum actu hunc producere, & habemus intentum.

Reſpondent alij tandẽ, Petrum actu producere Ioannẽ non aliud importare, niſi Petrum eſſe diſpoſitum ad productionem illius.

Alij dicunt importare tantum Petrum eſſe indiſtantem, & præſentem paſſo, circa quod debet agere vt producat Ioannem.

Alij

Alij alijs vocibus, & ſinonimis idem explicant.

Vt eas reſponſiones ſemper eodem argumento vrgeas, & penitus infringas, ne ampliùs tibi caput vacillet argue; hæc indiſtantia, hæc proportio, hæc diſpoſitio, & quodcumque aliud vocabulum inuenies in Calepino, in quo per te conſiſtit actio productiua formaliter, de qua loquimur, vel importat Petrū, & Ioannem tantum, vel aliquid diſtinctum ab vtroque; ſi primum ergo etiam in hoc nunc in quo exiſtunt Petrus, & Ioannes habebitur hæc proportio, hæc indiſtantia, &c. ac proindè habebitur productio Ioannis, & ſic Ioannes abſque miraculo aſſiduè producetur; ſi ſecundum habeo intentum.

Dices; importat quid diſtinctum, ſed hoc non eſt actio, quia, non eſt ratio formalis coſtitutiua Agentis in actu ſecundo operantis, quam nolumus diſtingui à

cauſa, & effectu; ſed eſt pura conditio requiſita, vt Cauſa operetur, cum ergo quæſtio non currat, de conditionibus, ſed de ratione formali, quæ vocatur actio, ideo argumentum, licet probet quid diſtinctum, tamen non probat actionem diſtinctam.

Mille grates prò hac doctrina tandiù expectata; igitur fateris mè probaſſe Petrum producere actu Ioannem, importare quid diſtinctum à Petro, & Ioanne; negas tamen, hoc diſtinctum eſſe actionem, ſeù rationem formalem, per quam Petrus actu producit Ioannem, ſed vis eam eſſe puram conditionem.

Vrgeo. Omnis Conditio, quæ ad aliquid requiritur, eſt diſtincta ab eo ad quod requiritur, ſed hoc diſtinctum, quod tù mihi concedis, eſt conditio, vt Petrus producat actu Ioannem, ergo hoc diſtinctum, diſtinguitur à Petro producente actu Ioannem, conſe-

quen-

quenter, hoc diſtinctum, non ſolum erit quid aliud à Petro, & Ioanne, ſed etiam ab illa actione, qua Petrus producit Ioannem, diſtinguitur enim ab eo ad quod requiritur, vt conditio, ſed requiritur non quidem, vt Petrus, & Io: ſint, ſed vt Petrus producat actu Ioannē, ergo eſt quid aliud à Petro, Io:& etiam ab illa ratione formali, per quam Petrus dicitur actu producens Ioannem; relinquamus ergo hanc conditionem, & diſcurramus ſic, habemus Petrum actu producere Ioannem, præter illam conditionem, quam vocas nomine Applicationis, indiſtantiæ, &c. igitur quando interrogo, quid importat Petrum producere actu Ioannem, noli recurrere ad Applicationem, Indiſtantiam, &c. nam cum hæ ſint puræ conditiones iam conceſſæ, vt diſtinctæ, ſanè non importantur formaliter in illo complexo Petri, producentis Ioannem; reſponde igitur,

quid importat Petrum producere actu Ioannem? Petrum, & Ioannem tantum? minimè, quia de facto exiſtunt Petrus, & Ioannes, ſine actuali productione vnius ab alio; quid importat? Petrum applicatum, determinatum, indiſtantem &c.? Sile quæſo ſile, tam citò oblitus es, has omnes eſſe conditiones, vt dixiſti? relinquamus conditiones, & dic mihi, quid importat de formali, hoc quod eſt Petrum actu producere Ioannem? iam te ſtringo; quid? Recurres ad Petrum, & Ioannem tantum? ergo quando exiſtunt Petrus, & Ioannes, habetur ratio formalis, per quam Petrus actu producit Ioannem, quomodo ergo non habetur effectus formalis? quomodo hoc tibi perſuades?

*Vtere inſtātijs adductis pro vnione diſtincta.*

AR-

# ARGVMENTVM XIX.

*Contra eos, qui dicunt ſubſtantiam creatam non eſſe immediatè operatiuam.*

OPerari immediatè, vt Cauſa principalis non pugnat cum ſubſtantia creata, ergo non eſt ratio, cur debeamus hunc concurſum, immediatum, & principalem, ipſi ſubſtantiæ creatæ denegare.

Prob. ant. Operari immediatè, & principaliter non pugnat cum ſubſtantia creata, quatènus eſt ſubſtantia, nec quatenus eſt creata, ergo ſimpliciter non pugnat cum ſubſtantia creata.

Prob. prima pars ant. Si operari immediatè, & principaliter, pugnaret cum ſubſtantia creata, quatenus ſubſtantia, ſequeretur, quod nulla ſubſtantia, eſſet immediatè, & principaliter operatiua, ſed Deus eſt ſubſtantia, & operatur

tur immediatè, & principalitèr, ergo falſum quod ſubſtantiæ creatæ quatenùs ſubſtantiæ repugnet hoc operari principaliter immediatè.

Prob. ſecunda pars ant. Calor eſt Creatura, & tamen immediatè, & principaliter producit alium calorem, ergo operari immediatè, & principaliter non pugnat, cum ſubſtantia creata quatenus creata.

Reſpondent. Operari immediatè, & principaliter pugnare cum ſubſtantia creata non quatenus ſubſtãtia, nec quatenus Creata, ſed quatenus ſubſtantia Creata, ſicuti diſtingui à Compoſito, non repugnat Materiæ, nec repugnat formæ, repugnat tamen Materiæ, & formæ vnitis,

Contrà. Subſtantia creata putà ignis operatur immediatè, & principaliter producendo v. g. calorem, calor enim immediatè e manat ab igne, loquendo de calore

lore, qui concomitatur productionem ignis, ergo operari immediatè, & principaliter non pugnat cũ ſubſtantia creata,neq;qua ſubſtantia,neq;qua creata,etiamſi ſimul iſti duo termini accipiantur.

Reſpondent. Calorem exiſtentem in igne v. g. B fuiſſe productum ab igne A à quo productus fuit ignis B mediante alio calore concurrente inſtrumentaliter ad productionem ignis B: vnde falſum eſt quod calor, qui eſt in igne B. emanet immediatè ab ipſa ſubſtantia ignis B.

Alij dicunt. Quod paſſiones ſubſtantiæ, non producuntur imediatè ab ipſa ſubſtantia,ſed à Deo vt Authore naturæ.

**Contra. Quando Aqua calida ab igne ſublata frigeſcit, tunc producitur noua frigiditas, quæ non poteſt dici, quod producatur à frigiditate alterius aquæ, vel Niuis, vel Aeris, quia poſſum ſupponere, aquam illam reponi**

**in**

in ambiente calido, vel ſaltem non frigido, ſine approximatione ad aliam Aquam, vel Niuem, ergo ſaltem tunc illa frigiditas immediatè, & principaliter producitur ab ipſa ſubſtantia Aquæ: à quonam Agente producitur? recurres ad Authorem naturæ. Vanum effugium; quoties Philoſophus poteſt de aliquo effectu inueſtigare cauſam creatam, indignũ eſt ei recurrere ad Deum; ad quid enim ſtudere philoſophiæ? poſſemus cum omnibus ruſticis, ſemper ac de aliqua productione naturali diſcutitur, eam refundere Deo; poſſemus negare omnes Cauſas ſecundas, dicendo omnia, ſolum Deum patrare; ſicuti enim tu dicis, non eſſe Aquam, quæ producit frigedinem, ſed Deum, ita ego dicere poſſem, neq; ignem calefacere, neque comburere, ſed Deum: cur non poſſem? quod nam fundamentum tù habes, quo ego caream? vnde cum ſine omni

ab-

abſurdo dicere poſſimus, Aquam producere immediatè, & principaliter (Deo tamen concurrente) ſuam frigedinem gratis, & perperam recurrimus ad ſolum Authorem naturæ.

Hinc Alij reſpōdent inter quos Goudin tom. 2. diſp.2. q.4. illam frigiditatem dimanare immediatè ab aqua, ſed produci à cauſa conſeruante aquam, quia ſicuti *qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*, ita qui conſeruat eſſe, conſeruat conſequentia ad eſſe, & ſi hæc, quæ conſequuntur eſſe, violenter auferuntur, remota violentia, ab eadem Cauſa conſeruante ipſum eſſe reſtituuntur.

Non intelligo, quomodo illa frigiditas dimanet immediatè à ſubſtantia aquæ, & poſtea non producatur ab Aqua, ſed à cauſa ipſam conſeruante: Explicemus hunc terminum *dimanare*; quid importat, dummodo non ſignificat productionem per hos Autho-

thores? Ipſemet Goudin paulo infra art. 4. con. 2. ait quod *Dimanatio nihil aliud eſt, quam productio vnius rei ad productionem alterius ex vi naturalis connexionis quam habet cum illa*. Ecce quomodo Dimanatio non eſt aliud niſi productio, quomodo ergo frigiditas dimanat ab aqua, & non producitur ab aqua?

Dicet, quod dimanare importat quidem productionem paſſionis dimanantis, ſed non ab eo à quo dimanat, bene tamen ab eo à quo producitur illa radix à qua poſtea paſſio dicitur emanare, vnde dimanare vnum ab alio, eſt vnum produci non ab ipſo à quò dimanat, ſed produci ad productionem ipſius à quo dimanat propter cõnexionem, quam habet cum eo.

Sed contra, quia hæc doctrina non poteſt eſſe vera in caſu propoſito, non enim dici poteſt, quod frigiditas, quam aqua recuperat, poſt calorem dimanet

ab

ab aqua, per hoc quod producatur ad productionem aquæ, quia aqua in caſu non producitur, ergo explicatio dimanationis non quadrat, ac proinde ſi dimanatio, eſt productio, ſaltem in caſu debet frigiditas dimanans ab aqua, ab eadem aqua produci.

Dicere poſtea, quod producatur à Cauſa, quæ conſeruat aquã, eſt idem ac dicere, quod producatur à Deo; quæ nam eſt Cauſa conſeruans Creaturas nè pereant, niſi Deus? ergo ſemper recurris ad Deum ſine vlla neceſſitate.

Reſpondent; habetur neceſſitas & eſt, quia potentia productiua ſubſtantiæ, eſt accidens, ergo ſi ſubſtãtia operatur per ſuam potentiam ſeù virtutem, operatur mediante aliquo accidente inſtrumentaliter concurrente, ergo quando deeſt hæc virtus non poteſt operari, ſed in aqua ſummè calida deficit virtus operatiua, quia ei deeſt frigiditas, ergo ipſa

ipſa aqua non poteſt operari, & producere frigedinem.

Peto; quænam neceſſitas tè mouet ad dicendum potentiam, ſeù virtutem operatiuam ſubſtantiæ eſſe accidens?

Reſpondent. Quia operatio eſt accidens, ergo virtus, ſeù potentia operatiua eſt accidens, quia omnis potentia ſpecificatur ab actu, actus eſt accidens, ergo &c.

Contra. Non magis potentia ſpecificatur ab actu, quam actus ſpecificetur à termino, ſed per hoc quod actio ſpecificetur à termino, non ſequitur, quod ſi terminus eſt ſubſtantia, actio debeat eſſe ſubſtantia, quia nunquam actio eſt ſubſtantia (vt tù ipſe fateris) quamuis multoties terminus productus ſit ſubſtantia, ergo, neque per hoc quod potentia ſpecificetur ab actu ſequitur potentiam debere eſſe accidens, eo quia operatio, ſeù actio eſt accidens

cidens

cidens; præſertim cum terminus reſpectu actionis, & actio reſpectu potentiæ ſit ſpecificatiuum extrinſecum.

*Soluitur.*

ADuerto aliud eſſe ſubſtantiam, non poſſe immediatè, & principaliter producere aliam ſubſtantiam, & aliud eſſe ſubſtantiam non poſſe immediatè, & principaliter producere aliquod accidens; hoc ſecundum, non negant, ſaltem nonnulli fautores huius ſententiæ, ſed negant tantum ſubſtantiam poſſe producere immediatè aliam ſubſtantiam; argumentum autem propoſitum, ſecundum probat, primum autem, nec leuiter tangit; poſſet nihilominus Arguens petere diſparitatem, quare Ignis v.g. poteſt immediatè, vt Cauſa principalis, producere ſuum Calorem; & non poteſt eodem modo producere alium

alium ignem; cum videatur maior conuenientia inter ignem & ignem, quam inter ignem, & calorem? at diſparitas eſt clara, quia cum calor ſit virtus media qua ignis operatur, non poteſt produci per aliã virtutem, nam ſic procederemus in infinitas virtutes, ergo producitur immediatè ab ipſa ſubſtantia ignis: at ignis effectus, nõ poteſt immediatè produci à ſubſtantia ignis Cauſæ, cum debeat produci per virtutem ignis Cauſæ, ac proinde per calorem, qui eſt virtus ignis, ergo debet produci mediatè, nam calor, eſt accidens, proindeque realiter diſtinguitur à ſubſtãtia ignis cuius, eſt virtus.

AR.

# ARGVMENTVM XX.

*Contra eos, qui dicunt ſubſtantiam Creatam eſſe immediatè operatiuam.*

NOn minus forma ſubſtantialis v. g. ignis, actiuè cauſatur ab Agente creato, quam paſſiuè cauſetur à materia prima, ſed non cauſatur à materia prima in genere Cauſæ paſſiuæ, ſeù receptiuæ, immediatè, ergo neque cauſatur ab Agente creato in genere cauſæ productiuæ immediatè.

Maior patet: quia ſicuti forma ignis producitur ab igne, ita recipitur in materia quia Agens naturale producẽdo formam, intendit productionem Compoſiti, quod nequit haberi ſine receptione formæ in materia.

Prob. min. Materia, non recipit formam, niſi per potentiam proximam, diſtinctam realiter à ſub-

ſubſtantia ipſius materiæ, ergo forma non recipitur immediatè in materia.

Prob. ant. Materia ſecundum potentiam remotam, eſt indifferens ad hanc, vel illam formam, ergo ſecundum hanc potentiam remotam, non poteſt potius hanc, quam illam formam recipere; conſequenter, quando recipit potius hanc, quam illam, recipit eam ſecundum potentiam proximam; quia præter potentiam remotam, non datur alia potentia in materia niſi proxima.

Quod porrò, hæc potentia proxima, ſit accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia materiæ, vt inde inferatur materiam recipere formam mediatè.

Probatur. Potentia proxima materiæ eſt amiſibilis, etenim Materia nunc eam habet, & prius non habebat; ergo hæc potentia proxima, eſt accidens aduentitium, adeoque realiter diſtin-

diſtinctum à ſubſtantia materiæ.

Prob. ant. Quia tunc dicimus lignum habere potentiam proximam ad recipiendam formam ignis, quando lignum eſt diſpoſitum per calorem, & ſiccitatem, at hæc accidentia realiter diſtinguntur à materia ligni, ergo etiam potentia proxima materiæ, quæ formaliter habetur per illa accidentia, erit amiſibilis, ſeparabilis, realiterque diſtincta à ſubſtantia materiæ.

Ex quo infertur, quod ſubſtantia creata non eſt immediatè receptiua, quia eſt receptiua per potentiam ſibi ſuperadditam, ergo à fortiori ſubſtantia creata non erit immediatè operatiua.

Prob. hæc Conſ. Quia maior virtus requiritur ad producendam formam ſubſtantialem, quam ad eam recipiendam, ſed hoc non obſtante ſubſtantia creata non poteſt immediatè recipere formam ſubſtantialem, licet poſ-

ſit immediatè recipere acciden-
tia, ergo à fortiori ſubſtantia creata non poterit immediatè producere formam ſubſtantialem, licet poſſit immediatè producere aliqua accidentia.

*Soluitur.*

RESpondeo N. min. ad probationem Conc. Materiam recipere formam ſubſtantialem per potentiam proximam, Nego tamen hanc potentiam proximam, eſſe realiter diſtinctam à ſubſtantia materiæ, itaut ſit alia entitas à potentia remota; eſt enim vtraque potentia remota, & proxima vna, & eadem entitas, licet formaliter duplex, nam eadem materia dicitur eſſe in potentia remota ad formam ſubſtantialem v. g. ignis, quando non habet diſpoſitiones requiſitas pro receptione illius, per quas poſtea diſpoſitiones dicitur eſſe

in

in potentia proxima ad ipſam formam ignis; ecce quomodo illa noua denominatio potentiæ proximæ, non habetur per hoc quod materia acquirat aliquam nouam potentiam, ſed per hoc, quod eadem potentia materiæ quo ad entitatem diſponatur per accidentia, & determinetur per ipſa potius ad formam ignis, quam ad formam aquæ recipiendam, at hoc quod eſt materiam diſponi, determinari, ad hanc formam præter ipſas diſpoſitiones determinantes, nil aliud diſtinctum importat à materia, ergo hæc potentia proxima entitatiuè, eſt ipſa potentia remota materiæ, licet formaliter quà proxima, in quò ſenſu dicit ipſas formas diſponentes, diſtinguatur realiter à materia.

Oh dices, potentia iſta proxima deperditur: diſtinguo formaliter qua proxima Conc. entitatiuè Nego. Etiam potentia

remota formaliter qua remota deperditur, nam quando materia eſt diſpoſita, non eſt amplius indifferens; nec eſt in potentia remota ad formam, ad quam eſt diſpoſita, nec per hoc tù inferes potentiam remotã eſſe entitatiuè diſtinctã à materia, alioquin materia non eſſet eſsẽtialiter potentia, nec eſſentialiter ſubiectũ, contra definitionem Philoſophi.

# ARGVMENTVM XXI.

*Contra eos, qui opinantur poſſe ſupernaturaliter duas cauſas totales, adæquatas, eiuſdem Ordinis, non ſubordinatas, producere eundem numero effectum.*

CApacitas paſſiua, quæ eſt in effectu ad poſſe produci, taliter expletur per vnicam Cauſam totalem, & adæquatam, vt non poſſit expleri per aliam, ergo

go non poſſunt duæ Cauſæ totales, & adæquate producere eundem numero effectum.

Prob. ant. Virtus actiua, quæ eſt in Agente taliter expletur, per vnicum effectum totalem, & adæquatum, vt non poſſit expleri per alium, ergo à pari capacitas paſſiua, quæ eſt in effectu taliter expletur per vnicam Cauſam adæquatam, vt non poſſit expleri per aliam.

Miror nonnulos negare antecedens, quod mihi videtur euidens; primo quia effectus adæquatus vnius cauſæ eſt omne producibile ab ipſa cauſa, ſicuti obiectum adæquatum oculi, eſt omne viſibile ab oculo, ſed quando Cauſa produxit omne, quod eſt à ſe producibile non poteſt aliud producere, vt patet in terminis, alioquin, non produxiſſet omne à ſe producibile, ergo virtus actiua, quæ eſt in Cauſa taliter expletur per vnicum effectum adæqua-

tum, vt non poſſit per alium expleri; quid clariùs?

Secundo. Scimus Patrem æternum, non producere aliud Verbum, nec Spiratorem alium Spiritum ſanctum; quare? quia Verbum cum ſit terminus adæquatus potentiæ productiuæ Patris, & Spiritus Sanctus ſit terminus adæquatus potentiæ ſpiratiuæ Patris, & Filij, taliter vterque ſuam potentiam per quam procedit explet, vt non poſſint hæ potentiæ amplius expleri per aliud Verbum, vel per alium Amorem. Hoc quod dicimus, & ſcimus de terminis adæquatis, dicendum etiam videtur de effectibus adęquatis, nã Verbum non quia eſt terminus, ſed quia eſt terminus adæquatus explet totam virtutem generatiuam Patris, ita vt ſi per impoſſibile, eſſet effectus, dummodo eſſet adæquatus eodem modo eam expleret. Non eſt igitur negandum ant.

De

Deuenio ad prob. Conſ. Sicuti ſe habet Productiuitas Cauſæ in ordine ad effectum adæquatum, ita ſe habet producibilitas effectus in ordine ad cauſam adæquatam, ſed productiuitas cauſæ, taliter expletur per vnicum effectum adæquatum, vt non poſſit Cauſa alium effectum adæquatum, quin imò, nec etiam inadæquatum producere, ergo pariter producibilitas effectus taliter expletur per vnicam Cauſam adæquatam, vt non poſſit ipſe per aliam Cauſam adæquatam, quin imò, nec etiam inadæquatam produci.

### *Soluitur.*

OMiſſis pluribus reſponſionibus tanquam inutilibus, breuiter ſoluo difficultatem, quæ tota reducitur in illo quæſito, quare nimirum duæ Cauſæ adæquatæ poſſint producere eundem

effectum, & duplex effectus adæquatus, non poſſit produci ab vnica cauſa. Diſparitas eſt clariſſima; tù prò effectu adæquato intelligis omne producibile à cauſa, ſicuti pro obiecto adæquato, comuniter intelligitur omne attingibile à potentia, ſeù habitu; ergo tù ipſe ſuppnis cauſam non poſſe producere duos effectus adæquatos, vel vnum adæquatum, & alium inadæquatum, quia ſemel quod Cauſa producit vnum effectum adæquatum, producit omne producibile à ſe ipſa, ergo nil aliud remanet ab ea producendum, quia quando dixi effectum adæquatum dixi omne quod Cauſa producere poteſt; ideo ergo non poteſt Cauſa producere alium effectum præter adæquatum, quia hic alius effectus eſt impoſſibilis. Deueniamus nunc ad aliam partem paritatis; ſunt nè impoſſibiles duæ Cauſæ adæquatæ? ſi affirmas, ergo debemus negare

gare ſuppoſitum quæſtionis, quæſtio enim præſens videtur ſupponere dari, vel dabiles eſſe duas cauſas adæquatas, & poſtea per eam inquiritur, an poſſint vniri ad vnicum effectum producendum. Si negas ergo iam das diſparitatem tuomet argumento, dic ergo, poſſe duas Cauſas adæquatas producere eundem effectum, quia duæ cauſæ adæquatæ in ſe ipſis non implicant, & ex alia parte, non euincitur implicare eas vniri ad vnum effectum producendum; at non poſſe duos effectus adæquatos produci ab eadem Cauſa, quia dato effectu adæquato, quicumq; alius, etiam inadæquatus implicat.

# ARGVMENTVM XXII.

*Contra negantes ſeriem determinatam effectuum in Cauſis efficientibus creatis.*

AFfirmant,& defendunt quam plures Philoſophi Cauſam creatam v. g. Petrum, eſſe ex ſua natura, ſeù ex ſua intrinſeca, & & determinata hæcceitate coarctatam ad tot, & tales numero effectus producendos, in fauorem cuius opinionis.

Argumentor. Omnis cauſa creata eſt intrinſecè, & eſſentialiter talis, ergo eſt intrinſecè, & eſſentialiter determinata ad tot, & tales numero effectus producendos.

Prob. conſ. Ex quo omnis cauſa ſit intrinſecè, & eſſentialiter talis, ſequitur quod ſit intrinſecè, & eſſentialiter affecta à ſua propria hæcceitate, ergo ſe-

qui-

quitur quod ſit intrinſecè, & eſſentialiter determinata ad tot, & tales numero effectus producendos.

Prob. conſeq. Ex quo omnis cauſa eſt intrinſecè, & eſſentialiter affecta à ſua differentia ſpecifica, ſequitur quod ſit intrinſecè, & eſſentialiter determinata ad tales effectus in ſpecie producendos, ergo etiam ex quo eſt intrinſecè, & eſſentialiter affecta à ſua hæcceitate, ſeù differentia numerica, ſequitur, quod ſit intrinſecè, & eſſentialiter determinata ad tales numero effectus producendos.

Prob. conſ. Non minus Petrus v. g. eſt eſſentialiter homo, ac ſit eſſentialiter hic homo, ſed per hoc quod ſit eſſentialiter homo ſequitur ipſum eſſe determinatum eſſentialiter ad producendum ſolum hominem, itaut non poſſit producere Leonem, vel Canem, ergo per hoc quod ſit eſ-

ſentialiter hic homo ſequitur ipſum eſſe eſſentialiter determinatum ad producendum hunc hominem v. g. Ioannem, itaut non poſſit producere Petrum, vel Franciſcum.

Conſequentia patet ex paritate rationis.

Confirmo. ex eo, quia materia prima non eſt eſſentialiter determinata ad talem formam in ſpecie recipiendam, ſequitur quod neque ſit eſſentialiter determinata ad talem formam in indiuiduo recipiendam, ergo è contra, quia Petrus eſt eſſentialiter determinatus ad talem effectum in ſpecie producendum, ad quem coarctatur à ſua propria differentia ſpecifica, ſequitur quod etiam ſit eſſentialiter determinatus ad talem effectum in indiuiduo cauſandum ad quem coarctatur à ſua propria differentia numerica.

Paritas videtur clara, quia id ex cuius negatione ſequitur in-

aliquo ſubiecto negatio alicuius prædicati, ſi affirmetur de alio ſubiecto erit ratio affirmandi de eodem idem prædicatum quod negatur de alio, ſed negatio determationis ſpecificæ infert in materia negationem determinationis numericæ, ergo affirmatio determinationis ſpecificæ infert in Petro affirmationem determationis numericæ.

### *Soluitur*.

TOta difficultas reducitur in illo quæſito, quarè ſcilicet ex eo quod Petrus ſit homo ſequitur ipſum non poſſe producere niſi hominem, & eſſe eſſentialiter determinatum ad producendum hominem, & ex eo quod ſit hic homo, non ſequitur ipſum eſſe determinatum ad producendum hunc, vel illum hominem. Diſparitas eſt clara, quia differentia

ſpe-

ſpecifica hominis, quæ eſt in Petro facit quod nullum aliud animal contineatur in virtute productiua Petri niſi ſolus homo, vnde non poteſt Petrus producere Leonem v. g. quia Leo debet produci ab ea cauſa, quæ continet virtutem productiuam Leonis, ergo debet produci tantum à leone, non à Petro, in quo non eſt talis virtus productiua Leonis: at verò differentia indiuidualis, quæ eſt in Petro non limitat ipſum Petrum ad producendum ſolum Ioannem, quia non excludit ipſum Ioannem à virtute productiua quæ eſt in Petro; etenim quid requiritur ad producendum Ioannem? virtus productiua talis hominis, ſed Petrus continet in ſe virtutem productiuam talis hominis, ergo continet virtutem productiuam Ioannis. Rurſus quid requiritur ad producendum Paulum? virtus prohuctiua talis hominis, ſed Petrus continet vir-

tutem

tutem productiuã talis hominis, &c. Sic diſcurro de Cæſare, Franciſco, & cæteris hominibus, ergo differentia numerica Petri non taliter ipſum coarctat, vt non præcontineat in ſua virtute productiua quodcunq; indiuiduum naturæ humanæ alioquin non daretur ratio, quare Petrus eſſet limitatus à ſua differentia numerica ad producendum Cæſarem, & non Paulum, hos, & non illos Filios? Inſuper ſi vnitas numerica Petri ipſum determinaret, vt vis, ad tot, & tales effectus, &c. Sequeretur quod Petrus non poſſet producere niſi vnum hominem, quia non minus Petrus eſt hic homo, quam ſit vnus homo, ſed per hoc quod ſit hic homo, tu infers quod ſit determinatus ad producendum hunc hominem, ergo per hoc quod ſit vnus homo, ego inferam, quod ſit determinatus ad producendum vnum hominem, quod eſſe falſum demonſtrauit

Pria-

Priamus, qui quinquaginta genuit homines; igitur tota ratio diſparitatis reſtringitur in hoc: Petrus per hoc quod ſit homo non poteſt producere niſi hominem, quia per hoc quod ſit homo ſequitur ipſum non continere virtutum productiuam niſi hominis, vt de facto experimur, at per hoc quod ſit Petrus, ſeu hic homo non ſequitur ipſum non continere virtutem productiuam Ioannis vel Franciſci, &c.

Repetes ad producendum hominem requiritur talis virtus in ſpecie, ſcilicet virtus productiua hominum; ergo ad producendum hunc hominem requiritur talis virtus in indiuiduo ſcilicet productiua huius hominis.

Concedo conſequentiã, at probandũ eſt quod talis virtus in indiuiduo productiua, ſcilicet huius hominis ſit in Petro, & nõ in Paulo, hoc eſt quod nego; non nego quod non requiritur virtus talis,

etenim Petrus non poteſt produci per virtutem productiuam vt ſic præciſam à tali, & tali virtutute, adeoq; fateor debere ipſum produci à tali virtute, ſed tum virtus Petri, tum Pauli, &c. eſt talis virtus, ergo tum per illam, tum per iſtam produci poteſt.

## ARGVMENTVM XXIII.

*Cardiualis Pallauicini contra eos, qui opinantur Deum poſſe producere Infinitum in multitudine cathegorematicum in actu.*

PRoducat Deus multitudinem hominum infinitam, deindè mihi reuelet, Petrum prædeſtinatum claudi in illa multitudine hominum infinita, qua facta reuelatione deſtruat Deus centum homines illiuſmet multitudinis, ſeque-

queretur, quod mihi eſſet æque credibile poſt deſtructionem centum hominum, ac erat antea, Petrum prædeſtinatum claudi in illa multitudine hominum infinita, & non eſſet æquè mihi credibile; hæc eſt contradictio, ergo infinitum in multitudine vtpotè ſecum trahens contradictionem eſt chimericum.

Minor patet, nam eandem propoſitionem reſpectu eiuſdem intellectus pro eodem inſtanti temporis eſſe, & non eſſe æquè credibilem, ac erat in alio inſtanti temporis, eſt euidens contradictio.

Prob. ſequela maioris, & primo quoad primam partem; Deus mihi reuelauit Petrum prædeſtinatum claudi in multitudine hominum infinita, ſed etiam facta deſtructione centum hominum, illa multitudo remanet infinita, ergo eſt mihi æque credibile Petrum prædeſtinatum claudi in

hac

hac multitudine infinita poſt de-ſtructionem centum, ac erat mihi credibile ante deſtructionem centum.

Prob. conſ. Quia tunc aliquid remanet eodem modo credibile quando remanet idem motiuum credendi, ſed etiam poſita de-ſtructione centum remanet idem motiuum credendi, ergo id quod Deus mihi reuelauit etiam poſita deſtructione centum remanet eodem modo credibile, ac erat antea.

Prob. minor. Quia motiuum credendi in caſu eſt duplex vnum extrinſecum, & eſt Diuina reuelatio, aliud intrinſecum, & eſt infinitas illius multitudinis, quia Deus reuelauit Petrum claudi in multitudine infinita, ſed etiamſi deſtructi ſint centum homines illius multitudinis, reuelatio Diuina moraliter permanet, non enim Deus ſe retractat; infinitas illius multitudinis

dinis etiam permanet, quia infinitum per ablationem finiti non finitur, ergo remanet idem motiuum credendi, proindeque eſt æque mihi credibile poſt deſtructionem centum, ac erat antea, Petrum prædeſtinatum claudi in illa multitudine hominum infinita, & ſic remanet probata prima pars contradictionis propoſitæ.

Prob. ſecunda pars contradictionis, quod nimirum poſita deſtructione centum hominum non ſit mihi æque credibile, ac antè præfatam deſtructionem, Petrum prædeſtinatum claudi in illa multitudine infinita.

Poſita deſtructione centum hominum poſſum prudenter dubitare, an Petrus prædeſtinatus ſit vnus ex illis centum deſtructis, ergo diminuitur credibilitas, & ſic non eſt æque mihi credibile poſt deſtructionem, ac erat antea Petrum prędeſtinatum claudi, &c.

Prob.

Prob. ant. De eo poſſum prudenter dubitare, quod poteſt à parte rei faciliter ſuccedere, ſed poſito, quod Deus deſtruxerit centum homines illius multitudinis infinitæ, poteſt faciliter ſuccedere Petrum eſſe vnum ex illis deſtructis; ergo de hoc poſſum prudenter dubitare, & ſic remanet probata alia pars contradictionis, vndè à primo ad vltimum poſita illa deſtructione centum hominum, eſſet, & non eſſet æque credibile Petrum prædeſtinatum claudi in illa multitudine infinita.

*Soluitur.*

VT ſoluatur hoc argumentum, eſt aduertendus ſenſus reuelationis Diuinæ, & ponderanda verba quibus Deus reuelet Petrum prædeſtinatum claudi in multitudine hominum infinita; vnde ſi Deus ſic reuelaret; in hac

hac multitudine infinita hominum clauditur Petrus prædeſtinatus; dico quod poſt deſtructionem centum hominum, non eſt æque mihi credibile, ac erat antea, Petrum prædeſtinatum in ea multitudine claudi, & ratio eſt quia poſita deſtructione centum, illa multitudo infinita non eſt amplius hæc, ſed variata, ergo non habetur, idem motiuum intrinſecum credendi, ac habebatur antea, quia Deus reuelauit Petrum claudi, non in qualibet multitudine infinita, ſed in hac, ergo etiam illa hæcceitas multitudinis infinitæ intrat in motiuum intrinſecum credendi. Si verò Deus alio modo reuelaret v. g. dicendo, in multitudine infinita hominum clauditur Petrus prædeſtinatus, itaut ſenſus propoſitionis eſſet, vbicumque dabitur multitudo hominum infinita, ibi erit Petrus prædeſtinatus, in hoc ſenſu dico quod Petrum præde-

deſtinatum claudi in ea multitudine infinita, eſſet æque mihi credibile poſita deſtructione cẽtum, ac erat antea, quia remanet idem motiuum credendi, tum extrinſecum, tum intrinſecum, vt benè probat argumentum, nam etiam deſtructis centum hominibus, ſi verum eſt quod exiſtat à parte rei multitudo infinita hominum, neceſſario verificari debet propoſito Diuina quod ſcilicet Petrus prædeſtinatus in ipſa contineatur: neque poſſum dubitare an Petrus prædeſtinatus ſit vnus ex illis centum deſtructis, nam Deus non poteſt Petrum prædeſtinatum deſtruere, niſi deſtruat totam multitudinem infinitum, quia reuelauit quod vbicumque, & quandocumqne dabitur multitudo hominum infinita, ibi dabitur Petrus prædeſtinatus. Si verò reuelatio ſic à Deo fiat; nunc Petrus prædeſtinatus clauditur in multitudine infinita hominum,
dico

dico quod poſita deſtructione centum hominum, non eſt æque mihi credibile, ac antea Petrum prædeſtinatum in ea multitudine reperiri, quia reuelatio Diuina habet pro obiecto etiam illud nunc temporis, in quo non erant deſtructi centum homines, ergo poſita tali deſtructione, cum non perſeueret illud nunc temporis ſupra quod appellabat Diuina reuelatio, & cum ex alia parte non perſeueret eadem multitudo inuariata, & immutata, ſequitur quod non perſeueret idem motiuum credendi, neque extrinſecum, neque intrinſecum, ac proinde poſita huiuſmodi deſtructione poſſum prudenter dubitare an Petrus ſit vnus ex illis centum deſtructis, & ſic à primo ad vltimum hoc argumentum non probat contradictionem futuram ex infinita multitudine, quia non probat quod idem obiectū eſſet, & non eſſet æque credibile niſi reſpe-

reſpectu diuerſarum reuelatio-num. Attendantur reuelationes Diuinæ eo modo quo explicatæ ſunt, & argumentum facilè ſol-uetur.

## ARGVMENTVM XXIV.

*Contra eoſdem concedentes infini-tum in multitudine, vt poſſi-bile in actu.*

MVltitudo infinita ſecum trahit æqualitatem, & inæ-qualitatem reſpectu eiuſdem, er-go ſecum trahit contradictionem proindeque implicat.

Prob. ant. Data vna multitu-dine infinita, Radices, & Qua-drati eſsent æquales, & inæqua-les inter ſe, ergo multitudo infi-nita ſecum trahit æqualitatem, & inæqualitatem reſpectu eiuſdem.

Prob. ant. Cuilibet radici cor-reſpondet ſuus quadratus, & cui-

libet quadrato correſpondet ſua radix, ergo tot radices, quot quadrati, conſequenter ex hac parte iam radices,& quadrati ſunt ęquales inter ſe.

Ex alia parte quilibet numerus huius multitudinis infinitæ eſt radix, at non quilibet numerus, eſt quadratus, ergo radices ſunt plures quadratis, conſequenter ſunt inæquales inter ſe.

Vt explicetur magis vis argumenti explicandi ſunt illi termini *radix*, & *quadratus*. Radix eſt ille numerus, qui replicatus in ſe alium gignit; quadratus eſt numerus partus ex replicatione ſuæ radicis v. g. binarium replicatum in ſe, ſcilicet bis repetitum gignit quaternariũ, numerus quaternarius partus ex replicatione binarij, dicitur quadratus reſpectu binarij & numerus binarius dicitur radix reſpectu quaternarij; cũ ergo quilibet numerus poſſit in ſe replicari,& alium gignere, ſequitur quod qui-

quilibet numerus eſt radix,& cum non quilibet numerus ſit partus ex replicatione alterius, ſequitur, quod nō quilibet numerus eſt quadratus. Rem demonſtrabit exemplum. Accipiamus denarium. In denario sūt plures numeri, ſcilicet binarium (ab hoc incipio, quia vna vnitas non eſt numerus) ternarium, quaternarium, quinarium, ſenarium, ſeptenarium, octonarium, & nouenarium, iſti ſunt numeri, ex quibus coaleſcit numerus denarius, in quo includuntur. Numerus binarius, eſt quadratus, quia eſt partus ex replicatione Vnius, eſt etiam radix, quia ex eius replicatione gignitur numerus quaternarius. Numerus ternarius eſt radix, quia ſi replicetur vt eſt in ſe, ſcilicet ter, parturit nouenarium, at non eſt quadratus; à quo enim numero gignitur; non ab vno, quia vnum parit binarium, non à binario, quia Binarium gignit

Quaternarium, ergo eſt radix, & non quadratus; idem reperies in Quinario, in Senario, in Septenario, in Octonario, ergo plures dantur numeri, qui non ſunt quadrati, licet ſint radices, nam quilibet poteſt in ſe replicari, & alium gignere. His poſitis.

Vrget argumentum. In illa multitudine infinita plures eſſent radices, quam quadrati, quia quilibet numerus illius multitudinis eſſet radix, at non quilibet eſſet quadratus; ergo radices excederent quadratos: ſicuti quia in multitudine omnium animalium ſenſitiuorum de facto exiſtentium dici poteſt de quocunq; animali; hoc animal eſt principium ſentiendi, non verò de quocumque dici poteſt, hoc animal eſt principium diſcurrendi, ſequitur, quod plura ſint principia ſentiendi, quam diſcurrendi, quia omne quod eſt principium diſcurrendi, eſt etiam principium

ſen-

ſentendi, at non omne quod eſt principiũ ſentiẽdi eſt principium diſcurrendi, vt patet in Brutis; ſimiliter in caſu; omnis numerus, qui eſt quadratus eſt etiam radix, at non omnis numerus, qui eſt radix eſt etiam quadratus, igitur radices ſuperant quadratos, ergo ſunt inæquales. Quid clariùs?

Ex alia parte eſſent æquales, quia cuilibet radici debet correſpondere ſuus quadratus, & cuilibet quadrato ſua radix, ergo tot radices, quot quadrati; ſicut ex eo quod cuilibet homini correſpondeat ſuus Intellectus, & cuilibet Intellectui ſuus homo, ſequitur, quod tot ſint homines, quot Intellectus, ergo in hac multitudine infinita haberetur hæc contradictio, quod quadrati, & radices eſſent inter ſe æquales, & inæquales.

Dices, ſi hoc argumentum vigeret ſequeretur neque poſſe dari

multitudinem finitam, quia etiam in multitudine finita quilibet numerus incluſus in ipſa eſt radix, & non quilibet eſt quadratus, vt vidimus in numeris exiſtentibus in denario, ergo ex hac parte probatur etiam in multitudine finita radices ſuperare quadratos. Ex alia parte cuilibet radici exiſtenti intra multitudinem finitam debet correſpondere ſuus quadratus, & cuilibet quadrato exiſtenti intra eamdem multitudinem debet correſpondere ſua radix, ergo numeri conſtantes multitudinem finitam, illi qui ſunt radices, & illi qui ſunt quadrati debent eſſe æquales inter ſe, ergo iam hæc multitudo diceret æqualitatem, & inæqualitatem, ergo implicaret non minus, ac multitudo infinita.

Sed contra, quia licet cuilibet radici exiſtenti in aliqua multitudine finita debeat correſpondere ſuus quadratus, tamen non eſt

neceſſe, vt hic quadratus ipſi cor-reſpondens ſit incluſus in eadem multitudine finita in qua includitur eius radix, quia multitudo finita non debet abſorbere omnem numerum, & ſic licet quinario exiſtenti intra multitudinem decem hominum v. g. debeat correſpondere ſuus quadratus, tamen hic quadratus, qui ipſi correſpondet non includitur in multitudine decem hominum, quia quadratus quinarij eſt numerus vigintiquinque, qui (vt patet) non poteſt includi in denario, ergo non verificatur de multitudine finita, quod radices, & quadrati ſint æquales inter ſe, ſed tantum quod ſint inæquales, quia non eſt neceſſe, vt quadrati correſpondentes radicibus alicuius multitudinis includantur in eadem multitudine, dummodo ſit finita.

Dices; idem dici poſſet de multitudine infinita, quod ſcili-

cet radices, & quadrati non ſint æquales propter eamdem rationem.

Belle. Ergo multitudo infinita non abſorbet omnem numerum. Ergo aliquis numerus non eſt inueniendus in ipſa, quinimò nec nouem homines in ea inueniri poſſent; at, quæ multitudo infinita eſt hæc, in qua neque nouem homines exiſtunt? quod hoc ſequatur, probo, quia tu vis vt in hac multitudine infinita radices ſuperent quadratos, per hoc quod non omnes quadrati correſpondentes radicibus includantur in illa multitudine infinita, ſicuti ego dixi de multitudine finita, ergo quadratus ternarij non eſſet incluſus in hac infinita multitudine, ſed quadratus ternarij eſt numerus nouenarius, ergo nouem homines non inuenientur in infinitate hominum.

Si verò dicas includi quidem in illa multitudine quadratum

par-

partum ex ternario, non verò alium quadratum.

Contra, quare quadratus partus ex ternario includitur, non verò alius quadratus? quare hic, & non ille? ſi omnes, ergo viget argumentum. Omnes quadrati correſpondentes radicibus huius multitudinis infinitæ includuntur in eadem, ergo tot radices quot quadrati.

Exemplifico. Sit multitudo infinita hominum, ita tamen, vt cuilibet correſpōdeat ſuus filius, iam darentur infiniti Patres, & infiniti Filij, & eſſent tot Patres, quot Filij, dummodo omnes Filij includerentur in eadem multitudine in qua includerentur Patres, ſecus ſi aliquis Filius exiſteret extra hanc multitudinem, eſſent in ea plures Patres, quam Filij; ſic in caſu cuilibet radici correſpondet ſuus quadratus, & è contra; Rurſus omnes quadrati correſpondentes radicibus inclu-

duntur in eadem multitudine infinita, in qua includuntur radices, ergo tot radices, quot quadrati, & tamen quilibet numerus eſt radix, & non quilibet eſt quadratus; ecce æqualitas, & inæqualitas.

*Soluitur.*

HOc argumentum tribuitur Galileo, & non leuem continet difficultatem, imò ſanè neſcio an ſolui poſſit ab illis qui licet concedant poſſe dari infinitum in actu, negant poſtea poſſe dari vnum infinitum maius alio etiam materialiter; quidquid tamen ſit de hoc; Reſpondeo ad id in quo tota difficultas reducitur quod ſcilicet radices eſſent, & non eſſent æquales quadratis. Nego ſequelam; & dico quod eſſent inæquales, materialiter loquendo, propter illam rationem, quia de vnoquoque numero dici poſſet hic numerus, eſt radix, at

de

de vnoquoque numero non poſſet prædicari quadratus, vndè licet quadrati eſſent infiniti, eſſent tamen materialiter pauciores, & radices eſſent materialiter plures. Debeo nunc ſoluere rationē, quæ in contrarium affertur, & eſt hæc; Cuilibet radici correſpondet ſuus quadratus, & cuilibet quadratò ſua radix, qui omnes numeri includuntur in multitudine infinita, ergo tot radices, quot quadrati, ac proindè ſunt æquales.

Inſto. Sint infiniti homines, quorum quilibet habeat ſuum Filium, itaut nullus ſit filius vnius, quin etiam ſit Pater alterius hominis, cum hoc tamen volo, vt aliqui ex his hominibus ſint à Deo immediatè producti, eò modo quo productus fuit Adam, cæteri verò ſint producti per generationem ſeminalem vnius ab alio; tunc valeret dicere cuilibet Patri correſpondet ſuus Filius, & cuilibet Filio correſpondet ſuus Pater,

non valeret tamen inferre, ergo tot Patres, quot Filij, quia illi homines qui eſſent à Deo immediatè producti eſſent Patres, & non Filij, ergo plures eſſent Patres, quā Filij, quarè? quia de vnoquoq; homine verificaretur quod eſſet Pater, at non de vno quoque verificaretur, quod eſſet Filius. Similiter in caſu, licet cuilibet radici correſponderet ſuus quadratus, & è contra, nihilominus, quia infiniti numeri v.g. ternarij eſſent radices, & non quadrati, hinc non valeret inferre, ergo tot radices, quot quadrati.

Dices; paritas quam affers, non minus, eſt abſurda, ac id, pro quo adducitur; non enim poſſunt poni in actu infiniti homines, per generationem ſeminalem vnius ab alio, quia deberent poni ſucceſſiuè, vndè additio quæ fieret, ſemper eſſet finita, & ſic nunquam illa multitudo infinitaretur.

Con-

Contra; & adduco aliam paritatem, quam non effugies; producat Deus infinita corpora colorata, eſſent omnia inter ſe ſimilia in ratione coloris, per ſimilitudines diſtinctas, vt pro nunc ſupponi poteſt, itaq; darentur etiam infinitæ ſimilitudines, quibus admiſſis; arguo: in hac hypoteſi valerent hæ propoſitiones; cuilibet ſimili correſpondet ſua ſimilitudo; cuilibet ſimilitudini correſpondet ſuum ſimile, ſcilicet id quod per ipſum eſt ſimile, & tamen non poſset inferri, ergo tot ſimilia, quot ſimilitudines; nec è contra; ergo tot ſimilitudines, quot ſimilia; quia illa infinita corpora eſsent ſimilia, & non eſſent ſimilitudines; at infinitæ ſimilitudines, eſsent ſimilitudines, & ſimiles, ergo plura eſsent illa ſubiecta, de quibus prædicaretur *ſimile*, ac illa de quibus prædicaretur *ſimilitudo*.

Quod etiam patet in multitudine

dine finita; ſint decem Alba, quorum vnumquodque ſit ſimile alteri per ſimilitudinem in ſe receptam, proindeque diſtinctam. Valent iſtæ propoſitiones.

Cuilibet ſimili correſpondet ſua ſimilitudo; cuilibet ſimilitudini correſpondet ſuum ſimile; non poteſt tamen inferri, ergo tot ſimilitudines, quot ſimilia, quia illa decem alba ſunt ſimilia, & non ſunt ſimilitudines, at verò ſimilitudines ipſæ, ſunt ſimiles, & ſimilitudines, ergo plura ſunt ſimilia, quam ſimilitudines; ſic à pari licet cuilibet Radici correſpondeat ſuus, Quadratus, & cuilibet quadrato ſua radix, nihilominus, quia quilibet numerus, eſt radix, & non quilibet eſt Quadratus, ſequitur radices excedere quadratos.

AR-

# ARGVMENTVM XXV.

*Contra eos, qui tuentur poſſe dari Infinitum in actu, quo ad intenſionem qualitatis.*

NOn dantur, nec dari poſſunt indiuiſibilia Zenonis, ergo non poteſt dari qualitas infinitè intenſa.

Suppono veritatem antecedentis, arguo enim contra Peripateticos.

Prob. Conſ. Si daretur qualitas infinitè intenſa v. g. grauitas infinita, iam darentur inſtantia indiuiſibilia, at hæc implicant, ergo implicat qualitas iufinitè intenſa.

Prob. ſequela maioris. Detur lapis infinitè grauis, hic lapis roici poſſet, vel ab Angelo, vel Deo è Cælo Lunæ ad centrum, go iam daretur inſtans indiuiſibile.

Prob.

Prob. Conſ. Eatenus mouetur citius motu recto verſus centrum aliquod Corpus, quatenus eſt grauius; ſed in caſu grauitas huius lapidis eſset infinita, ergo ſi lapis hic proiectus eſset è Cælo ad terram, moueretur in inſtanti.

Prob. Conſ. Ad æqualitatem grauitatis, creſcit arithmeticè velocitas motus, ſed grauitas eſt infinita, ergo velocitas infinita, ergo inſtantanea.

Prob. vltim. Conſ. velocitas inſtantanea, eſt ea qua maior dari non poteſt (quia ſi poſset dari maior, poſset diuidi inſtans quod implicat) ſed velocitas infinita eſt ea qua maior dari non poteſt, ergo velocitas infinita, eſt eſt velocitas inſtantanea, conſequenter, ſi lapis ille vtpote infinitè grauis moueretur velocitate infinita, moueretur in inſtanti; implicat inſtans; ergo implicat motus infinite velox, proindeque im-

implicat grauitas infinita.

Reſpondebis primo, motum illum non fore infinitè velocem, nec inſtantaneum, quia in motu illo recto debet mobile ſuperare reſiſtentiam aeris intermedij, vnde velocitas motus, non eſt ſolum attendenda penes grauitatem mobilis, ſed etiam penes maiorem, vel minorem reſiſtentiam aeris.

Contra euidenter. Eo citiùs ſuperatur reſiſtentia aeris, quo grauius eſt mobile, quod mouetur, ergo mobile infinite graue, infinita velocitate ſuperat reſiſtenntiam aeris, ac proinde infinita velocitate mouetur, conſequenter in inſtanti.

Prob. ant. Ego ſine aliquo impulſo, relinquo è cacumine Turris duo pondera, quorum vnum eſt vt duo, aliud vt viginti, idem aer vtrique ponderi reſiſtit, & tamen citius peruenit ad centrum pondus vt viginti, quam pondus

vt

vt duo, ergo reſiſtentia aeris, eo citius ſuperatur, quo grauius eſt pondus, proindeque pondus infinitum, infinita velocitate ſuperabit aeris reſiſtentiam, conſequenter in iſtanti.

Reſpondebis ſecundo, cum Arriaga, quod pondera quantumuis inæqualia, æqualiter tamen perueniunt ad centrum ſi æqualiter proiciantur ab alto; de quo teſtatur Arriaga ſe habuiſse experientiam.

Contra. Nam hoc bolum ſatis difficile eſt vt hauriatur, pondus, vt centum æqualiter peruenit ad centrum cum pondere vt duo? etiam ſi experirer, non crederem; malo adhærere rationi, quam experientiæ, quia facilius oculus, quam intellectus decipitur; ergo experior corpora leuia, non deſcendere, vel ſaltem non citò deorſum; ergo grauitas eſt cauſa deſcenſus iuxta illud *omne graue tendit deorſum*, ergo ſi grauitas

uitas eſt cauſa deſcenſus, maior grauitas erit cauſa maioris deſcenſus, hoc eſt maioris velocitatis deſcenſus.

Reſpondebis tertio. Motum illum rectum ponderis infiniti fore quidem infinitè velocem, ſed non inſtantaneum.

Contra. Velocitate finita, poteſt ſemper dari maior, & maior velocitas; ergo velocitate infinita, non poteſt dari maior; Sed ex conceſſis, velocitas qua deſcenderet hoc pondus infinitum, eſſet velocitas infinita, ergo ipſa non poſſet dari maior.

Tunc ſic; hoc pondus infinitum, ea velocitate deſcenderet, qua maior dari non poſſet, ergo moueretur in inſtanti.

Prob. Conſ. velocitas inſtantanea, eſt illa, qua maior dari non poteſt, ſed hoc pondus infinitum, moueretur ea velocitate, qua maior dari non poſſet, ergo moueretur in inſtanti.

Prob.

Prob. ma. Quia ſi aliquod pondus poſſet moueri citius, quam in inſtanti, moueretur in ſeminſtanti, ergo inſtans eſſet diuiſibile, quod implicat.

*Soluitur.*

Admitto vltimam reſponſionem, & dico hoc pondus infinitum debere quidem moueri infinita velocitate, non tamen in inſtanti; ad impugnationem; Nego quod velocitate infinita, non poſſit dari maior velocitas; non enim implicant duo infinita, quorum vnum ſit maius alio. Deus infinite diſtat ab Angelo, & infinitè diſtat à culice, & tamen magis diſtat à culice, quam ab Angelo, ecce duæ diſtantiæ infinitæ, quarum vna, eſt maior alia. Ad probationem in contrarium dico quod velocitate finita ſemper poteſt dari maior, & maior, intra lineam finitam cum hoc tamen

men ſtat, quod velocitate infinita poſſit etiam dari maior, & maior intra lineam infinitam materialiter ſemper loquendo; vnde quamuis, hoc pondus infinitum deſcenderet infinita velocitate, tamen quia, deſcenderet ea velocitate infinita, qua poſſet dari maior intra lineam infinitam, ideò non deſcenderet velocitate inſtantanea.

Alia reſponſio eſt facilior, qua conceditur implicare quidem infinitum in intenſione huius qualitatis in ſpecie, ſcilicet grauitatis, non vero implicare quodcumque infinitum in genere intenſionis; et ſi quæratur diſparitas, ea eſt, quia ex infinita grauitate ſequeretur motus inſtantaneus, quæ ſequela, etiam ab arguente reputatur abſurda, adeoque hæc grauitas infinita non eſt admittenda vtpotè ſecum trahens abſurdum, at quia ex infinita intenſione alterius qualitatis v. g. caloris, nec

hoc

hoc, nec vllum aliud abſurdum ſequitur, hinc non eſt reicienda intenſio infinita in genere.

## ARGVMENTVM XXVI.

*Contra concedentes, poſſe dari infinitum in actu, quo ad extenſionem quantitatis.*

DEtur Columna infinitæ extenſionis, hæc eſſet finita, & infinita, ergo implicat magnitudo, ſeù extenſio infinita.

Prob. ſequela anteced. Auferat Deus circa medium huius columnæ centum palmos, illos corrumpendo, vel annichilando, iam hæc columna infinita per ablationem finiti finiretur, ergo non eſſet infinita, quia infinitum per ablationem finiti non finitur, ex alia parte ſupponitur infinita, ergo eſſet, & non eſſet infinita.

Prob.

Prob. ſequela antec. quod, ſcilicet per ablationem centum palmorum finiretur. Poſt quam Deus abſtulit illos centũ palmos, de medio Columnæ, coniungat ſimul extremitates, de quarum medio abſtulit centum palmos, trahendo partem ſuperiorem deorſum, vſque ad contactum partis inferioris, iam pars ſuperior Columnæ moueretur localiter, ergo relinqueret aliquem locum ex parte ſuperiori, quem piusoccupabat, ergo finiretur.

Prob. hæc Conſ. in eo loco relicto à columna, poſset Deus præfigere ſignum aliquod cum inſcriptione *non plus vltra* dicendo huc vſque peruenit Columna, vlterius non progreditur, ergo tota Columna eſset finita.

Prob. Conſeq. Quia ſuppono Columnam habere terminum inceptionis, volo enim, vt incipiat à puncto A. ſupra quod ſit eius baſis, ex alia parte, ſcilicet ſuperiori,

riori, cum Deus præfigat ſignum in eo loco derelicto à Columna, iam poneret terminum, ergo tota Columna eſset ex vtraque parte terminata, & clauſa, quia ex vna parte terminaretur à baſi, ex alia parte ab illo ſigno à Deo præfixo, ergo eſset finita, per ablationem centum palmorum, quod repugnat extenſioni infinitæ.

Reſpondent aliqui, in tali hypoteſi Deum rarefacere partes Columnæ, & ſic non moueretur Columna, nec aliquem locum relinqueret.

Contra; quia Arguens non vult ſupponere Columnam rarefieri, ſed vult vt Deus trahat partem ſuperiorem, eam coniungendo, cum inferiori.

Reſpondent; Deum in tali caſu non poſse mouere Columnam, quia columna infinita, non poteſt aliquem locum relinquere.

Oh benè, vt defendas tuam opi-

opinionem, vis ligare brachia Omnipotentiæ Diuinæ. Melius eſt dicere te falſum opinari, ac Deum eſſe impotentem ad aliquid tam facile, vt eſt tractio Columnæ. Nonnè maius eſt Columnam illam remanere in aere ſuſpenſam, quam eam cum baſi coniungere? quare ergo Deus per tè poteſt illud maius, & non hoc minus?

### *Soluitur.*

**DIcendo, non implicare Infinitũ materialiter clauſum; Deus diſtat infinitè à Creatura, hæc diſtantia clauſa eſt inter Deũ, & Creaturam; ergo nõ eſt contra rationem infiniti clauſura, & terminatio materialis, quia infinitum non eſt id, quod non eſt finitum vllo modo, licet Ethimologia nominis, id ſonet, ſed eſt *id ex quo ſemper eſt aliquid accipere*, itaut nunquam deueniri poſſit ad**

vltimum, nam ſic exhauriretur. Columna itaque illa, licet ex vtraque parte terminata eſſet, & clauſa, nihilominus eſſet infinita non minus, ac antea, quia illi termini infinitè diſtarent inter ſe, non minus, ac Deus, & Creatura ſunt termini diſtantiæ infinitæ; eſſent igitur termini materiales, quia materialiter, terminarent, ratio enim formalis infiniti ſaluaretur, quia ex illa Columna, ſemper eſſent partes accipiendæ, & accipiendæ in infinitum, & nunquam poſſet deueniri ad vltimam partem accipiendam.

Dices poſſemus deuenire ad illam partem ſupra quam Deus poſuiſſet inſcriptum, *non plus vltra*.

Nego aſſumptum, quia ſi tù incipies accipere partes à baſi Columnæ, vel ab aliquo loco circa baſim, non ſolum nunquam deuenies ad aliam extremitatem, ſed neque ad veram medietatem

Co-

Columnæ, eo quia etiā medietas columnæ infinitæ, eſt infinita; idem dico ſi incipies accipere partes ab alia extremitate in qua Deus poſuit ſignum, cum tanta diſtantia ſit ab vno extremo v. g. A. ad extremum B. quanta à B. vſque, ad A.

Oh daretur aliquis locus quem Columna non occuparet.

Fateor, attamen locus occupatus etiam poſt motum eſset infinitus, quia deficientia centum palmorum loci, non arguit locum quem Columna occupat non eſse infinitum; occupabat nè prius locum infinitum nec ne? ſi concedis, ergo etiam poſt motum occupat infinitum locum, quia locus, quem deperdit eſt finitus; ſi negas; ergo negas ſuppoſitum tuimet argumenti; vnde hęc obiectio Columnæ et ſi marmoreæ nulliùs eſt ponderis.

## ARGVMENTVM XXVII.

*Contra eos, qui negant quodcumque infinitum poſſibile in actu, & concedunt in potentia.*

DEus eſt magis perfectus, cum libertate, quam habet ad extra, ac eſset perfectus, ſi eſset Agens neceſsarium, ſed ſi eſſet Agens neceſſarium, etiam ad extra, ſemper, ac ageret produceret infinitum in actu, ergo cum ſit liber poteſt ſaltem producere infinitum in actu.

Maior non videtur neganda, quia libertas eſt perfectio, ergo Deus cum libertate eſt magis perfectus, ac eſt Deus ſine libertate.

Minor liquet; quia ſi Deus eſſet Agens neceſsarium, quando aliquid produceret, ageret quantum poſset, ſed poſset infinitum, ergo ageret, & produceret infinitum.

Conſequentia ſequitur ex præmiſſis

miſſis, quia libertas non minuit potentiam Agentis, ſed perficit, addit enim hanc ſolam differentiam, quod Agens ſine libertate, licet non neceſſitetur ad producendum quantum poteſt, tamen poteſt pro ſuo libito producere quantum poteſt, ergo ſi Deus in illa hypoteſi, ex neceſſitate produceret, quantum poſset, nunc cum libertate, cum qua eandem habet potentiam, quam haberet tunc imò meliorem, & perfectiorem, poteſt libere producere omnia, quæ poteſt, proindeque infinitum.

Dices, infinitum implicare ex parte ſui non ex parte Dei.

Contra ſic argumentor. Infinitum non implicat ex parte Dei: ergo nec implicat ex parte ſui.

Prob. Conſ. Non implicat ex parte Dei, ergo Deus habet potentiam ad ipſum producendum quantum eſt ex sè, ergo infinitum habet potentiam ad produci, con-

ſequenter non implicat ex parte ſui.

Ant. eſt certum, quia effe-ctum non implicare ex parte cauſæ, eſt idem formaliſſime, ac Cauſam nullam habere repugnãtiam ad ipſum producẽdum, proindeque habere potentiam ad ipſum ſaltem quantum eſt ex sè.

Prob. Ex hoc ſequi, neque infinitum implicare ex parte ſui. Deus quantumvis ſumatur, quantum eſt ex sè, nunquam habet potentiam ad impoſſibile, ſed habet quantum eſt ex sè potentiam ad producendum infinitum, ergo infinitum non eſt in ſe impoſſibile, ac proinde non implicat.

Vrgeo magis. Cauſam poſſe producere effectum, & effectum, poſſe produci à Cauſa, ſi non ſunt idem, ſaltem ſunt ita connexa, vt vnum non poſſit ſaluari ſine alio; quis enim dicet me poſſe amare Petrum, & Petrum non poſſe amari à mè? ergo ſi Deus habet

habet potentiam ad producendum infinitum, etiam infinitum habebit potentiam ad poſſe produci à Deo.

Vrgeo magis. Potentia actiua Cauſæ, neceſſariò dicit relationem ad potentiam paſſiuam effectus; ergo non poteſt dari in Deo potentia actiua ad infinitum, niſi detur etiam potentia paſſiua in ipſò infinito, itaut non poſſit Deus producere, id quod non eſt producibile.

Fortiùs. Ex eò quia peccatum eſt poſſibile ex parte ſui, licet ſit impoſſibile ex parte Dei, attamen ſequitur peccatum, abſolutè, & ſimpliciter eſſe poſſibile, ergo è contra ex eo, quod infinitum non repugnet ex parte Dei, licet alioquin repugnet ex parte ſui nihilominus debet abſolutè, & ſimpliciter dici, & eſſe poſſibile, quælibet enim poſſibilitas ſufficit, vt aliquid abſolutè, & ſimpliciter ſit poſſibile.

Rurſus, per hoc quod Infinitũ repugnet ex parte ſui dici nè debet abſolutè, & ſimpliciter impoſſibile? ſi affirmas, ergo id quod eſt abſolutè, & ſimpliciter impoſſibile, non repugnat ex parte Dei, ac proinde poterit produci à Deo, quid falſius? ſi negas, ergo non eſt abſolutè, & ſimpliciter impoſſibile, ergo eſt abſolutè, & ſimpliciter poſſibile; etenim non eſſe impoſſibile, & eſſe poſſibile ſunt omninò idem, ſi ergo eſt abſolutè, & ſimpliciter poſſibile quomodo poſtea aſſeris, quod repugnet ex parte ſui?

Claudo. Quid requiritur, vt aliquid ſit abſolutè, & ſimpliciter poſſibile? ſanè nil aliud, niſi vt detur Cauſa potens ipſum producere, ſed Deus poteſt producere, totum id, quod ex parte ipſius Dei non implicat, nam ſi in Deo daretur impotentia ad producendum, implicantia ſe teneret ex parte Dei, quod tù negas, er-

go vt implicantia non appellet ſupra Deum, non debes in Deo ponere impotentiam, proindeq; Deus habet potentiam ad producendum totum id quod ex parte ipſius Dei non implicat.

Tunc ſic. Per tè infinitum non implicat ex parte Dei, ergo Deus habet potentiam ad ipſum producendum, ſed nihil aliud requiritur, vt aliquid ſit abſolutè, & ſimpliciter poſſibile, niſi vt detur Cauſa potens ipſum producere, ergo infinitum eſt abſolutè, & ſimpliciter poſſibile; quare ergo non poteſt poni in actu? Poſſibili poſito in actu, nullum ſequitur abſurdum.

At proſequamur argumentum. Si Deus eſſet Cauſa neceſſaria, ex neceſſitate ſemper ac ageret, produceret infinitum, ergo in illa hypoteſi infinitum non implicaret, neque ex parte Dei, neque ex parte ſui, ergo neque nunc implicat ex parte Dei, neq; ex par-

te ſui, alioquin libertas Dei poneret implicantiam in infinito; & valeret hoc entimema, Deus eſt liber, ergo implicat infinitum; non video connexionem conſequentiæ.

Dices, ſi Deus eſſet cauſa neceſſaria nõ eſſet infinitus, ac proinde non poſſet producere infinitum.

Contra; Deus ad intra eſt principium infinitum, licet ſit principium neceſſarium, circa productionem Verbi Diuini, qua de cauſa agit quantum poteſt, & totum id quod ad intra producit eſt infinitum, ergo etiam ſi ad extra eſſet Cauſa neceſſaria, eſſet Deus infinitus, quamuis non liber, ergo ſemper ac ageret, ageret quantum poſſet, & produceret infinitum.

Dices ſi Deus non eſſet liber, non eſſet Deus, quia non eſſet ens perfectiſſimum.

Contra. Supponamus Deum ſine libertate eſſe Deum, & eſſe

ens

ens perfectiſſimum, & ſupponamus libertatem non eſſe perfectionem, proindeque non eſſe in Deo, in hac hypoteſi Deus eſſet ens neceſſarium, infinitum ſimpliciter, & verus Deus, ergo quando ageret, quia eſſet Cauſa neceſſaria produceret quantum poſſet, & quia eſſet Cauſa infinita, produceret infinitum.

Dices; nolo facere tot ſuppoſitiones impoſſibiles, non enim fieri poſſunt abſque deſtructione Dei.

Contra; quia *D. Thom. in prima par. tract. de Trin.* facit hypoteſim etiam impoſſibilem, & eſt illa *ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio diſtingueretur ab illo nec ne?* ergo loquendo de Deo poſſunt fieri ſuppoſitiones impoſsibiles, præſertim conditionales abſque, eo quod deſtruatur conceptus Dei, ita ergo, & ipſe arguo, & à tè inquiro. Si hic Deus, qui nunc habet potentiam infini-

tam,& liberã, haberet potentiam infinitam neceſſariam, quando ageret produceret nè infinitum nec ne? iam tè habeo; Si negas, ergo non haberet potentiam infinitam neceſſariam, etenim, vel non produceret infinitum, quia non poſſet, vel quia nollet, quodcumque dixeris, vel deſtrues neceſſitatem, vel infinitatem. Si affirmas, ergo cum libertas, quam habet nunc, non deſtruat infinitatem, ſed tantum neceſſitatem, ſequitur, quod licet nunc Deus non poſſit producere infinitum, ex neceſſitate, attamen poterit ipſum producere ex libertate; alias plus poſſet Deus ſi eſſet Cauſa neceſſaria, quam in hoc nunc in quo eſt Cauſa libera.

## ARGVMENTVM XXVIII.

*Contra eoſdem.*

DEus poteſt ponere in actu nunc, omnia ea, quæ nunc producere poteſt, ſed nunc producere poteſt omnia poſſibilia, ergo nunc poteſt ponere in actu omnia poſſibilia, ſed omnia poſſibilia, ſunt infinitæ infinitates, ergo Deus nunc non vnum infinitum, ſed infinitas infinitates poteſt ponere in actu.

Maior, cum ſit propoſitio identica, ſaltem implicitè, eo quod idem ſit prorſus, ponere in actu, ac producere, non poteſt eſſe falſa, nullam propoſitionem identicam falſam inuenies: igitur maior non eſt abſolutè negabilis.

Minor eſt etiam vera, quia Deus nunc eſt Omnipotens, ſed Deum eſſe Omnipotentem, & Deum poſſe producere omnia

ſunt

ſunt formaliſsimè idem, ergo cum Deus nunc ſit Omnipotens, nunc poteſt producere omnia poſſibilia.

Minor ſubſumpta patet, quia tota maſſa poſſibilium includit omnes homines, omnes Angelos, omnes Leones poſſibiles, & ſic de cæteris entibus exiſtentibus, & valentibus exiſtere, ergo omnia poſſibilia ſunt infinitæ infinitates.

Ex his ſequitur Conſequentia, nimirum Deum poſſe nunc ponere in actu infinitas infinitates.

Reſpondent; diſtinguendo maiorem; Deus poteſt nunc ponere in actu, omnia ea, quæ nunc producere poteſt, eo modo quò ea producere poteſt C. alio modo N. maiorem, & diſtingunt min. nunc producere poteſt omnia poſſibilia ſimul N. ſucceſſiuè C. minorem, ergo, &c. diſtingunt Conſ. ſimul N. ſucceſſiuè C. Conſ. dicunt enim ipſi, Deum poſſe producere

ducere omnia poſſibilia, ſicuti in ſe ſunt producibilia, ſcilicet ſucceſſiuè, non omnia ſimul, ſicuti partes quantitatis ſunt omnes diuiſibiles, non enim datur aliqua illarum indiuiſibilis, & tamen, non omnes diuiſiones poſſibiles poſſunt poni ſimul in actu; ergo ex hoc, quod Deus poſſit nunc ponere in actu, omnia, quæ nunc producere poteſt, non ſequitur poſſe ipſum, ponere in actu ſimul infinitos homines, itaut non remaneant alij homines producibiles, quod per hos Authores requiritur ad infinitum cathegorematicum de quò eſt quæſtio, ſed tantum ſequitur, Deum ita poſſe ponere in actu infinitos homines, vt ſemper illi, qui poſiti ſunt in actu ſint finiti, & illi qui ſunt ponendi ſint infiniti, & hoc eſt infinitum ſyncathegorematicum, quod ab ipſis conceditur.

Contra. Per hoc quod Deus produceret in hoc nunc (*ſuppona-*

*mus*

*mus hoc per impoſſibile*) omnes homines poſſibiles, ſimul non ſucceſſiuè eos produceret, quia eos produceret in hoc *nunc*, ſi enim eos produceret ſucceſſiuè, non produceret eos omnes in hoc vno *nunc*, ſed aliquos in hoc *nunc*, & alios in alio *nunc*; ergo Deum producere omnes homines *nunc*, importat neceſſario Deum producere omnes homines ſimul; arguo ex actu ad potentiam, & infero, Ergo Deum poſſe producere *nunc* omnes homines, importat Deum poſse producere ſimul omnes homines; ſed re vera Deus *nunc* poteſt producere omnes homines, & omnia poſſibilia, ergo ea omnia non ſolum ſucceſſiuè, ſed etiam ſimul producere poteſt; nam ſi ſolum ſucceſſiuè ea producere poſſet, ergo *nunc* aliqua dumtaxat illorum producere poſset, non omnia; ſed veritas eſt catholica, quod Deus *nunc*, imò in hoc vno, & indiuiſibili *nunc*, (ſi fa-

ti licet) poſſit producere omnia poſſibilia, quia *nunc* eſt omnipotens, ergo ſimul, & non ſolum ſucceſsiuè ea omnia producere poteſt.

Ad inſtantiam Quantitatis; Diſparitas eſt clariſsima; nam in tantum non poſsunt nunc poni in actu omnes diuiſiones omnium partium Qantitatis, itaut nulla alia diuiſio remaneat in potentia in quantum deſtrueretur eſsentia Quantitatis, quæ, quantumuis diuidatur, ſemper debet remanere Quantitas, proindeque ſemper diuiſibilis, quia eius partes ſemper debent remanere partes, & nunquam poſsunt euadere puncta; at proba tù mihi quæſo, quod ſi produceretur omnes homines deſtrueretur eſsentia hominis; & tunc paritas curret.

Reſpondent ſecundo. Deum poſse producere, vel ponere in actu *nunc* omnes homines, verum eſt, ſi tò *nunc* appellet ſupra poten-

Contra, nam paritas nulla eſt, quia ego, qui nunc habeo potentiam ad ambulandum cras, habeo etiam potentiam ad ambulandum nunc, ſiquidem implicat mè nunc habere potentiam ad ambulandum, & mè nunc nō poſſe ponere in actu ambulationem, ad quid enim haberem potentiam nunc? ſi ambulatio hodierna, & in hoc puncto temporis eſt impoſſibilis? ſemper, ac habetur potentia ad aliquam actum, ſemper debet actus poſſe prodire ab illa potētia; Ergo ſi nunc in mê datur potentia ad actum ambulationis, non ſolum poterit cras, ſed etiam, nunc prodire, & poni in actu mea ambulatio; at in caſu, tù non vis, vt nunc poſsint à Deo prodire omnes homines poſsibiles, quomodo ergo ſaluare poteris, nunc in Deo adeſſe potentiam ad producendos omnes homines?

**Deinde retorqueo paritatem,**

ex eo quod ego habeam nunc potentiam ad ambulandum, ſequitur, quod illa ambulatio ad quam nunc dico potentiam ſaltem aliquando poterit poni in actu; ergo à pari, per hoc quod Deus nunc habeat potentiam ad producendos omnes homines, ſequitur quod ſaltẽ aliquando omnes homines, ad quos nunc Deus dicit potentiam productiuam, poterunt poni in actu, vnde non erit amplius impoſsibile hoc infinitum in actu, quia ſaltem in illo tunc poterunt produci omnes homines, non quidem ſucceſsiuè, quia ſic non eſſent omnes, ſed aliqui nunc, alij in alio nunc, &c. Sed Deus in hoc vno nunc dicit potentiam productiuam ad omnes homines, ergo, &c.

At proſequamur argumentum. Probo Deum hàbere potentiam ad producendum omnia poſsibilia nunc, & ſimul.

Sint homines poſsibiles infiniti

niti in potentia (& ſic diſcurri poteſt de cæteris entibus poſsibilibus) vtique Deus cognoſcit ſua ſimplici intelligentia hos omnes homines poſsibiles, ergo cognoſcit in hac maſſa hominum poſsibilium infinitas combinationes, cognoſcit enim infinitos binarios, ternarios, & infinita millenaria, inſuper cognoſcit Deus, ipſum poſſe producere decem millenaria hominum ſimul, imò centum, mille millenaria ſimul, ergo etiam cognoſcit ſe poſſe producere omnia millenaria hominum ſimul.

Prob. hæc vltima Conſ. Quia ſi Deus non poſſet producere omnia millenaria hominum poſſibilium ſimul, maxime, quia repugnant produci ſimul, ſed non habetur hæc repugnantia ergo, &c.

Prob. min. Quia ex infinitis millenarijs hominum poſſibilium non eſt aſſignabile quodnam ſit

illud

illud millenarium, quod non poteſt produci ſimul cum alijs; omnia ſunt æquè poſſibilia, quare ergo decem millenaria non repugnant produci ſimul, & omnia repugnant? ex quò millenario, vel ex quibus millenarijs prouenit hæc repugnantia, vt producantur ſimul cum alijs? ſanè non video, cur derogandum ſit Omnipotentiæ viribus. Fateor, infinitum aliqua præſeferre, quæ non facilè à nobis percipiuntur, at non per hoc debemus Omnipotentiam reſtringere, etenim plus Deus poteſt facere, quam nos intelligere quia *Deus eſt maior Corde noſtro*.

Reſpondent Alij, quod licet Deus, poſſit producere omnia poſſibilia ſimul, non per hoc poteſt producere infinitum, quia poſſibilia ſunt finita.

En alius error. Ergo Deus ad extra non habet potentiam infinitam nam totum, quod producere

cere poteſt eſt finitum.

Deinde vrgeo; homines poſſibiles ſunt finiti, ſupponamus eos eſſe centum millenaria, producat Deus centum millenaria hominum; producere nè poteſt alios? negabis, quia iam produxit omnes per tè, ergo repugnat alius homo præter poſitos in actu, aſſigna repugnantiam; quare non eſt dabilis alius homo? quare hic vnus repugnat, non repugnantibus alijs? quæ prædicata diceret hic alius, per quæ repugnaret? forſitan, quia ſi produceretur alius homo, produceretur infinitum, quod per tè implicat? at iam petis principium, quinimo vitioſè circulas, pręterquam quod non video quomodo ex aditione vnius hominis, multitudo finita euaderet infinita.

*His argumentis, quiſque reſpondere poterit adducendo aliquam implicantiam, iuxta ſua propria principia; ego nullam inuenio, quæ non mi-*

*militet etiam contra infinitum ſincategorematicum.*

# ARGVMENTVM XXIX.

*Contra dicentes ſubſtantiam materialem non habere ex ſe partes independenter à quantitate.*

OMnis diſtinctio, eſt intrinſeca, & eſſentialis extremis diſtinctis, ergo ſubſtantia materialis habet ex ſe partes independenter à quantitate.

Antecedens eſt euidens, quia diſtinctio, non eſt forma media diſtincta ab extremis, extrema ſiquidem ex ſe ipſis, non per aliquid aduenticium diſtinguntur, ergo diſtinctio, cum identificetur cum ipſis extremis, eſt ipſis intrinſeca, & eſſentialis.

Prob. igitur Conſeq. Omnis diſtin-

diſtinctio eſt intrinſeca, & eſſentialis extremis diſtinctis, ſed dè facto ſubſtantia Capitis diſtinguitur à ſubſtātia pedis: ergo hæc diſtinctio eſt intrinſeca, & eſsētialis his extremis, ſcilicet, ſubſtantiæ capitis, & ſubſtantiæ pedis, ergo eſt independens à quantitate.

Prob. hæc vltima Conſ. quia ſi ipſæ duæ ſubſtantiæ Capitis, & Pedis, diſtinguerentur de facto dependenter à quantitate, ſequeretur, quod huiuſmodi diſtinctio eſſet quidem intrinſeca, vtpotè proueniens à quantitate recepta in illis ſubſtantijs, tamen non eſſet eſſentialis illis, quia quantitas non eſt eſſentialis ſubſtantiæ, ſed hæc diſtinctio eſſet effectus quantitatis, ergo non eſſet eſſentialis illis ſubſtantijs; cui enim accidit cauſa accidit etiam effectus illius cauſæ.

Neque dicas, me ſupponere, quod eſt probandum, ſcilicet ſubſtantiam Capitis, eſſe diſtinctam

à ſubſtantia pedis; Nam hoc non eſt probandum, ſed neceſſario ſup-ponendum, quæſtio enim eſt, an ſubſtantia materialis habeat ex ſe partes diſtinctas, vel eas habeat per quantitatem, igitur de facto dantur iſtæ partes diſtinctæ, ſed cadit in dubium, vnde proueniat hæc diſtinctio. Loquor igitur de facto, & dico de facto in homine Caput non eſt pes, ergo diſtinguntur iſtæ partes, ergo ex ſe ipſis, quia ſi diſtinguerentur per quantitatem, hæc diſtinctio eſſet effectus alicuius accidentis, ac proinde eſſet accidentalis Capiti, & pedi, ſed omnis diſtinctio eſt eſſentialis extremis diſtinctis, ergo, &c.

Vrgeo magis, quando dico Caput non eſt pes, vel propoſitio tantum ſonat, quod quantitas Capitis, non ſit quantitas pedis, vel etiam ſonat, quod non ſolum quantitas capitis, verum quod ſubſtantia Capitis, non ſit ſub-

ſtan-

ſtantia pedis; ſi hoc ſecundum, proſequor argumentum ſubſtantia capitis non eſt ſubſtantia pedis (vndecumque hoc proueniat, pro nunc præſcindo) ergo in capite, & pede ſunt duæ ſubſtantiæ diſtinctæ eſsentialiter (non dico diuerſæ eſsentialiter, ſed diſtinctæ) ergo diſtinctæ ex ſe ipſis, quia ſi diſtinguerentur per aliquid aliud, diſtinguerentur accidentaliter, vnde hæc diſtinctio non eſſet identificata cum extremis, nam id, quod alicui accidit, non poteſt cum eo identificari.

Si primum, ergo ſolum quantitates Capitis, & Pedis diſtinguntur, non verò ſubſtantiæ, ergo ſubſtantia, quæ eſt in capite, eſt eadem numero cum ſubſtantia, quæ eſt in pede, ergo (infero contra Thom.) idem ſubiectum eſt affectum à duplici quantitate ſolo numero diſtincta quod eſt contra eorum principia, accidentia ſiquidem, per ipſos indi-

uiduantur à ſubiecto, proindeq; non poſſunt in vno ſubiecto eſse plura accidentia ſolo numero diſtincta.

Præter quam quod, hæc ſubſtantia licet materialis, eſset in loco Capitis, & in loco pedis, vel per replicationem, & hoc quomodo ſine miraculo? vel per hoc quod exiſteret in illis definitiuè, & hoc quomodo ſi materialis?

Igitur concedendæ ſunt duæ ſubſtantiæ, non minus, ac duæ quantitates in Capite, & pede, & tunc experietur vis argumenti.

*Soluitur.*

PRincipium indiuiduationis per Thom. eſt Materia prima ſignata quantitate (ſaltem hæc ſignatio quantitatis per multos requiritur) ita tamen, vt indiuiduatio materiæ deſumatur à quantitate, & indiuiduatio quantitatis à materia, indiuiduatio ve-

ro rei à materia, & quantitate ſimul; ex quo prouenit ſubſtantias materiales non poſse eſse diſtinctas, niſi dependenter à quantitate, quo poſito, infringitur argumentum, nam quando dicitur quod diſtinctio ſit eſsentialis extremis diſtinctis, hoc eſt verum formaliter, falſum tamen originatiuè, ſeù cauſaliter; mè explico. Si propoſitio illa facit hunc ſenſum, quod diſtinctio ſit forma eſsentialis, ſeù identificata cum extremis, quæ diſtinguntur, hoc eſt verum, ſi verò facit hunc alium ſenſum, quod ſcilicet Origo, ſeù Cauſa, ex quà prouenit talis diſtinctio, ſit quid eſſentiale, & identificatum cum ipſis extremis, quæ diſtinguntur, hoc eſt falſum; nam ſicuti poteſt eſse, quod alicui, principium ſit eſsentiale, & effectus ſit accidentalis, vt patet in homine cui principium diſcurrendi eſt eſsentiale, actualis diſcurſus eſt acci-

dentalis ; ita poteſt eſse, quod aliquod principium ſit alicui accidentale, & effectus ſit eſsentialis; hoc modo dicere poſset Thomiſta, quod licet quantitas ſit accidens realiter diſtinctum, ſitque proinde quid accidentale ſubſtantiæ materiali, diſtinctio tamen numerica, quæ eſt effectus quantitatis, ſit eſsentialis, ideſt identificata cum ipſis partibus ſubſtantiæ, eo fere modo quo licet Culter non ſit eſsentialis ligno, tamen diuiſio, quæ cultro fit eſt eſsentialis partibus ligni, quæ ſunt diuiſæ, quod exemplum licet craſsum, nihilominus ad huius ſententiæ perceptionem prodeſse poteſt; nam ſicuti ego dico quod diuiſio eſt eſsentialis partibus ligni, quæ ſunt diuiſæ, non verò quod ſit eſsentialis partibus ligni abſolutè, ita Arguens fatur, quod diſtinctio eſt eſsentialis partibus diſtinctis, non verò partibus abſolutè, ergo in hoc ſtat paritas.

An

An verò, ablata quantitate à Corpore humano v. g. ſubſtantia Capitis fieret vna numero cum ſubſtantia pedis, vel remaneret ab ea diſtincta numero, ſicuti de facto eſt; multifariam opinantur Fautores huius ſententiæ, aliqui enim volunt, quod tota ſubſtantia reduceretur in indiuiſibile, quod affirmant etiam ſi Deus deſtrueret totã quantitatem Oceani, Oceanum enim reſtringeretur in vna indiuiſibili gutta, quam Culex haurire poſset, totum Oceanum abſorbendo; Alij verò tuentur quod remanerent partes diſtinctę ſicuti nunc de facto ſunt, nam (inquiunt) licet diſtinctio proueniat à quantitate, tamen perſeuerantia diſtinctionis, eſt independens ab ipſa, qui Authores tenentur etiam fateri hanc diſtinctionem, non prouenire à quantitate in generæ cauſæ formalis, alioquin perſeueraret effectus formalis ſine forma, quod non

eſt dicendum, ſed eam potius prouenire ab ordine quem ſubſtantia materialis dicit ad quantitatem, tanquã ad principium ſuæ indiuiduationis; qui ordo ſemper perſeueraret, etiam ablata quantitate.

## ARGVMENTVM XXX.

*Contra eos qui dicunt idem corpus poſſe eſſe in duplici loco circumſcriptiuè.*

PRincipium proprium, ex quo per ſenſum deuenimus in cognitionem certam de diſtinctione inter homogenea ſenſibilia, per nullam potentiam poteſt falſificari; ſed principium proprium, ex quo per ſenſum deuenimus in cognitionem certam diſtinctionis inter res homogeneas ſenſibiles, eſt quod habeãt diuerſas vbicationes circũſcriptiuas, v. g. ego video albedinem A. exiſtentem, in

in vno loco, & albedinem B. exi-ſtentem in alio loco, ſtatim a-gnoſco illas albedines eſſe duas, & non vnam, nec aliundè venio in cognitionem talis diſtinctio-nis, niſi ex diuerſitate vbica-tionum; ergo hoc principium, nec per diuinam potentiam po-teſt falſificari; ſed falſificaretur, ſi vna albedo v. g. exiſteret cir-cumſcriptiuè in duplici loco; ergo ne falſificetur hoc principium cer-tum, neganda eſt replicatio cir-cumſcriptiua Corporis.

*Soluitur.*

HOc argumentum, quod ad-ducitur à Patre Mauro, euidenter retorquetur contra re-plicationem definitiuam, nàm ſi diuerſitas vbicationum eſt prin-cipium certum, ex quo cognoſci-mus diſtinctionem inter duo ſen-ſibilia homogenea, nè falſificetur hoc principium, deberet etiam

negari replicatio definitiua, quia ſi Chriſtus exiſtens in Hoſtia conſecrata rederetur nobis viſibilis, (quod eſſe poſſibile nullus dubitat) ego videns Chriſtum in Hoſtia vnius Altaris,& etiam in Hoſtia alterius Altaris, deberem arguere, quod eſſent duo Corpora Chriſti ex duplicitate vbicationum, quæ per Maurum eſt principium certum, ex quo arguitur diſtinctio inter duo Corpora, & ſic vel erit neganda replicatio definitiua, quod eſt hæreticum, vel illud principium non eſt certum niſi tantum moraliter, & coniecturaliter, ac proindè poterit diuinitus falſificari.

Reſp. Directè conc. ma. & nego min. quod ſcilicet diuerſitas vbicationum ſit principium cognitionis certæ diſtinctionis inter duo Corpora, dico enim quod ex hoc, quod ego videam albedinem exiſtentem in pariete A.& albedinem exiſtentem in pariete B.

ex hoc non poſſum deducere euidenter quod ſint duæ albedines, neque poſſum habere certitudinem de duplicitate albedinum, loquendo de certitudine, & euidentia metaphiſica, ideſt eſſentiali, quia poſſum dubitare prudenter an ſit vna albedo diuinitus replicata in duobus ſubiectis, vnde, illa diuerſitas vbicationum, non eſt principium metaphiſicè certum, hoc eſt patiens cognitionem omnimodè certam excluſiuam cuiuſcumq; formidinis; Fateor tamen quod diuerſitas vbicationum eſt principium naturaliter certum, quia cum ſimus certi, quod naturaliter non poteſt vnica albedo exiſtere in duplici loco, hinc ex duplicitate locorum deuenimus in cognitionem, quod naturaliter loquendo debeat eſſe duplex albedo.

Reſp. tertio; negando ſuppoſitum ma. quæ talis eſt: principium proprium, ex quo per ſen-

ſum venimus in cognitionem certam, &c. igitur ſupponit Pater Maurus, quod illa cognitio, quæ habetur per ſenſum ſit cognitio certa, quod eſt falſum, quia ſenſus decipitur, præcipuè in ordine ad miracula, ergo cognitio, quæ habetur per ſenſum non poteſt eſſe certa, loquendo de omnimoda certitudine, de qua loquitur Pater Maurus; Sic ſenſus iudicat Hoſtiam conſecratam eſſe verum panem, & cognitio quæ habetur per ſenſum hoc idem iudicabit, & tamen iſta cognitio non ſolum non eſt certa, ſed omnimodè falſa. Præterea, ſi aliquis Angelus aſſiſteret Corpori cadauerico, tunc qui audiret Corpus illud rectè diſcurrere, exiſtimaret ductus à ſenſu, quod illud compoſitum eſſet verus homo, & tamen erraret; ergo cognitio, quæ habetur per ſenſum, non eſt certa.

Reſpondebis; ergo nos poſſemus ſemper dubitare an omnia

grana

grana frumenti, quæ ſunt in mundo ſint vnum granum replicatum, an omnes albedines ſint vna albedo replicata.

Reſp. quod moraliter loquendo non poſſumus dubitare, quia ſcimus,& nobis experientia conſtat, Deum non eſſe ità facilem in patrandis miraculis: ſicuti ex eo,quod Deus poſſit manutenere omnia accidentia ſine ſubiecto, ſequitur ne quod nos debeamus dubitare,an omnia accidentia huius mundi ſint conſeruata à Deo miraculosè ſine ſubiecto? ſi hoc concedet Pater Maurus, & ego etiam libenter concedam id, quod tanquam abſurdum contra me infert; Dico tamen, quod non per hoc, quod Deus poſſit aliquid facere per miraculum, debemus prudenter dubitare, an de facto fecerit, ſicuti non dubitamus an à p. r. dentur mille mundi, montes aurei, &c. licet ſciamus Deum poſſe illa producere,

& ra-

& ratio eſt, quia quotieſcumque miracula Dei, nec proponuntur ab Eccleſia, nec propalantur à Sanctis Patribus, nec in Scripturis regiſtrantur, licet concedamus Deum poſſe illa patrare, tamen attenta potentia humana, ſumus certi, quod illa de facto non patrauerit, quia nullum habemus veſtigium ad id affirmandum. Si verò ſermo ſit de certitudine metaphyſica, concedo nos hanc non habere certitudinem, an omnes albedines, quæ videntur in Mundo ſint vnica albedo replicata in pluribus locis, vel ſint plures albedines, ſicuti, neque Pater Maurus habet certitudinem metaphyſicam, an albedo, quæ exiſtit in hac pagina exiſtat recepta in hac pagina, ſicuti petit exiſtere, vel exiſtat miraculosè ſine omni ſubiecto, ſicuti exiſtit albedo euchariſtica.

AR-

# ARGVMENTVM XXXI.

*Contra negantes idem Corpus poſſe eſſe in duplici loco circumſcriptiuè.*

POſsunt duo corpora eſſe in eodem loco: ergo pariter poterunt duo Vbi eſſe in eodem corpore; ſed quotieſcumque duo Vbi eſſent in eodem corpore, iam corpus haberet duas præſentias, cum nihil aliud nomine Vbi intelligatur, quam præſentia localis: ergo ſi corpus haberet duo Vbi, haberet duas præſentias locales: ergo eſſet preſens duplici loco.

Antecedens conceditur à Thomiſtis, & ſalua fide negari non poteſt, quia negaretur penetratio ſupernaturalis, quæ pluribus in locis Sacræ Scripturæ apertiſſimè inſinuatur.

Probatur Conſ. quia ita ſe habent

bent duo corpora reſpectu vnius loci, ſicuti duo loca reſpectu vnius corporis.

*Soluitur.*

CORpus eſſe in loco circumſcriptiuè per Thomiſtas, eſt taliter commenſurari, & claudi à loco, vt impoſſibile ſit ipſum extra illum locum per alia loca vagari: quo ſuppoſito, patet diſparitas, quare ſcilicet, poſſint duo corpora inter ſe penetrari, & non poſſit idem corpus circumſcriptiuè replicari, quia penetratio dicit duo corpora eſſe in eodem loco, quod non eſt contra rationem locabilitatis circumſcriptiuæ; ſicuti idem corpus eſſe in duplici loco, eſt contra rationem locabilitatis circumſcriptiuæ; deberet probare Arguens, quod ſicuti eſſe circumſcriptiuè in loco dicit eſſentialiter negationem alterius præſentiæ eiuſdem corporis

ris in alio loco, quod ita dicat eſſentialiter negationem alterius corporis in eodem loco, quod nunquam probabit, eſſet enim arguere contra principia quæ à Thomiſtis ſupponuntur vt certa.

# ARGVMENTVM XXXII.

*Contra negantes Corpus nullibizatum.*

QVotieſcumq; duo ita ſe habent, vt vnum ſit alio realiter prius, toties, ſaltem per miraculum, quod eſt prius poteſt exiſtere ſine eo, quod eſt ſibi poſterius; ſed prius eſt realiter corpus exiſtere, quam corpus eſſe locatum, ergo ſaltem per miraculum poteſt haberi corpus à p. r. exiſtens, abſque eo, quod ſit locatum, & ſic exiſteret nullibi.

Ma-

Maior eſt vera ſaltem in abſolutis; ſcio enim quod Cauſa licet ſit realiter prior effectu, tamen non poteſt, neque per miraculum haberi Cauſa ſine effectu, eo quod Cauſa, non eſt Cauſa, niſi per ordinem ad effectum; nihilominus, id quod eſt cauſa entitatiuè ſumptum haberi poteſt ſine eo, quod eſt effectus, licet non formaliter qua Cauſa, ſed qua talis entitas, ergo in abſolutis, quod eſt realiter prius alio, poteſt ſaltem per miraculum exiſtere ſine illo, quod eſt poſterius.

Minor eſt etiam euidens, ſupponendo corpus eſſe in loco per Vbi diſtinctum; quia Vbi eſt modus receptus in entitate corporis locati, ergo ſupponit à p.r. ipſam entitatem corporis, ac proinde prius eſt realiter corpus à parte rei exiſtere, ac corpus à p.r. eſſe vbicatum; ſicuti prius eſt corpus exiſtere, ac eſſe coloratum, quemadmodum ergo poteſt à p.r.

exiſtere corpus abſque vllo colore, ita poterit corpus exiſtere abſque vllo vbi, ergo tunc corpus exiſteret nullibizatum.

Negabis vniuerſaliter maiorem, diceſque non ſemper poſſe id quod eſt prius exiſtere, nec per miraculum ſine eo, quod eſt sè poſterius.

Prob. igitur vniuerſaliter maior. Quotieſcumq; vnum eſt realiter prius alio, poteſt Deus concurrere ad productionem prioris, & ſuſpendere concurſum ad productionem poſterioris; v. g. volo producere ignem, nolo tamen concurrere ad productionem caloris huius ignis; quis prohibet Deum hoc ſanciri decretum? ergo etiam poterit decernere; volo producere corpus, & cũ eo nolo concurrere, ad reſultantiam, ſiue productionem vllius vbicationis, ergo vniuerſaliter omne realiter prius alio poteſt per miraculum ſaltem exiſtere ſine ſuo poſteriori.

Deum

Deum poſſe, vt ſupra decernere probatur. Id Deus nequit decernere, quod inuoluit contradictionem, ſed decernere productionem corporis, ſine reſultantia vbicationis, non inuoluit contradictionem, ergo &c.

Prob. mi. Contradictio eſt reſpectu eiuſdem, ſed ex ſtentia corporis, & negatio exiſtentiæ vbicationis, non ſunt idem, ergo decretum illud quo Deus vellet exiſtere corpus, & non exiſtere vbicationem, non eſt reſpectu eiuſdem, ac proinde non inuoluit contradictoria.

Corroborò magis. Volo corpus exiſtere, & nolo corpus exiſtere, eſt decernere contradictoria, quia eadem exiſtentia eiuſdē corporis, ponitur vt terminus volitionis, & nolitionis; ergo è cōtra volo corpus exiſtere, nolo vbicationē exiſtere, non eſt decernere contradictoria, quia non eadem exiſtentia, eſt terminus volitionis, & nolitionis,

nis,ſed exiſtentiaCorporis eſt terminus nolitionis,& exiſtentia vbi, eſt terminus volitionis, corpus, & vbi non ſunt realiter idem, ergo Deus per illud Decretum, non idem vellet, & nollet, ſed vnum vellet, & aliud nollet, vnde nulla contradictio ſequeretur.

### *Soluitur.*

ADuertendo, quod ſolum hoc, aut illud Vbi determinatum eſt quid poſterius exiſtentia corporis, at aliquod Vbi vagum, & indeterminatum, non eſt poſterius exiſtentia corporis, ſed eam neceſſariò, & eſſentialiter concomitatur; vnde licet prius ſit Corpus exiſtere, & poſtea habere hoc, aut illud Vbi, tamen non eſt prius corpus exiſtere, ac habere aliquod Vbi, quodcumque illud ſit; & ratio eſt, quia cum ſit comuniſſimum Axioma, & (vt puto) lumine naturæ euidens,

*Quidquid eſſe alicubi eſſe*, infertur Corpus, & quodcunq; aliud ens aptum locari, habere neceſſariò aliquod Vbi eo ipſo quod producitur, quia eo ipſo, quod producitur exiſtit, ergo alicubi, proindeque tantum probat argumentum corpus poſſe exiſtere ſine hoc, aut illo Vbi, non autem poſſe exiſtere ſine omni vbi, nam hanc ſeparationem infert, ex poſterioritate, quam habet Vbi ad corpus, ſed tantùm hoc aut illud determinatum Vbi eſt poſterius exiſtentia corporis, non aut aliquod Vbi in comuni, & vage ſumptum, quod eſt coæuum ipſi corpori, ergo corpus ab hoc, aut ab illo, non verò ab omni Vbi abſolui poteſt.

Dices, non ſolum hoc Vbi determinatum, ſed omne Vbi eſt modus realiter diſtinctus ab exiſtentia corporis, ergo omne Vbi eſt ſeparabile à corpore. Rurſus omnis modus eſt poſterior ſuo ſub-

ſubiecto, quod modificat, ſed Vbi etiam indeterminatè ſumptum, eſt modus, ergo adhuc Vbi indeterminatum, eſt poſterius corpore.

Reſpondeo; Ad primam, quod licet omne Vbi ſit realiter diſtinctum, nihilominus non omne eſt ſeparabile à corpore, niſi tantum diſtributiuè, non verò collectiuè; eo modo quò per Thom. omnis forma eſt ſeparabilis à materia, ſcilicet, & hæc, & illa, & alia &c. at non per hoc poteſt remanere materia ſpoliata omni forma, quia quando dicitur, omnis forma eſt ſeparabilis à materia, ly *omnis* ſupponit diſtributiuè non collectiuè. Ratio verò quare omne Vbi collectiuè ſupponendo, non ſit ſeparabile à corpore exiſtente, eſt quia, aliquod Vbi debet eſſentialiter concomitari exiſtentiam rei, vt ſaluetur, quod *Quidquid eſt alicubi eſt*.

Ad ſecundam, Vbi etiam inde-

ter-

terminatè ſumptum eſt modus, diſtinguo, eſt modus realiter poſterior ſuo ſubiectoN. realiter cõcomitans, & coæuus ſuo ſubiecto C. nam, non omnis modus, eſt realiter poſterior ſuo modificato, licet omnis ſit realiter diſtinctus ab eo; Vbi eſt modus neceſſario requiſitus ad exiſtentiam corporis, ſicuti vnio eſt modus neceſſariò requiſitus ad exiſtentiã Compoſiti, ſicuti ergo non poteſt exiſtere compoſitum ſine omni vnione, nec per miraculum, ità non vlla res exiſtere ſine omni Vbi.

Ex quo: nego Deum poſſe decernere volo corpus exiſtere, & nolo exiſtentiam vniuſcumque vbicationis, quia vellet, & nollet corpus exiſtere, eo quia corpus exiſtens eſſentialiter inuoluit aliquam vbicationem, ſicuti non poteſt Deus ſanciri volo compoſitum exiſtere, & nolo exiſtere quamlibet vnionem, non quia negatio vnionis ſit negatio compoſiti

poſiti formaliter, etenim vnio non eſt compoſitum, ſed quia ex negatione cuiuslibet vnionis, ſequitur eſſentialiter negatio compoſiti, ſed etiam ex negatione cuiuslibet vbicationis, ſequitur negatio exiſtentiæ Corporis, ergo non poteſt Deus illam nolle, & iſtam velle. Et re vera non poteſt percipi aliquid eſſe, & nullibi eſſe; ſcio Deum poſſe plura patrare miranda, quæ nos percipere nequimus; nihilominus, cum hic habeamus ex vna parte inperceptibilitatem, ex alia, nullum ſit veſtigium probabilitatis huius nullibizationis, exiſtimo eam debere reijci.

Poſſet enim Deus mihi reuelare ſe produxiſſe Petrum in Mundo, & ſi ego interrogarem Deum, vbi eſt Petrus, quem in Mundo produxiſti? poſita veritate huius ſententiæ, Deus reſponderet, Petrus, quem in Mundo produxi nullibi eſt. Similiter ſi poſſet dari res

nunquizata, ſcilicet exiſtens, & nulli tempori correſpondens, Deus poſſet mihi ſpondere beatitudinem, & ſi ego interrogarem ipſum, *Quando conſolaberis mè?* Quando nam Beatus ero? Deus poſſet reſpondere, *Nunquam*, & ſaluarentur hæc duo, quod Deus me beatificabit quidem, ſed nunquam; Ego putarem ſanè, Deum mè velle potius irridere, quam glorificare.

# ARGVMENTVM XXXIII.

*Contra eos, qui putant Ariſtotelem efficaciter probaſſe conti-nuum non conſtare ex punctis.*

P*Vnctum additum puncto non facit extenſum*, non eſt propoſitio vera, ſed ex hac propoſitione infert Ariſtoteles continuum non conſtare ex punctis, ergo argumentum Ariſtotelis non eſt efficax.

Prob. ma. Ideò punctum additum puncto non facit extenſum, quia indiuiſibile additum indiuiſibili, non conflat diuiſibile, ſed poteſt, diuiſibile conflari ex indiuiſibilibus, ergo falſum eſt, quod punctum additum puncto non faciat extenſum.

Prob. min. Licet aliquod ſubiectum ſolitariè ſumptum ſit incapax alicuius prædicati, tamen

vnitum cum alio ſubiecto ſit capax illius prædicati. v.g. licet vna Vnitas ſolitariè accepta non ſit numerus, tamen addita alteri vnitati conflat numerum. Rurſus licet materia ſola non ſit compoſitum, tamen ſi ipſi addatur forma, coſtituit compoſitum, ergo pariter, licet vnum punctum, vnum indiuiſibile, non ſit extenſum, neque diuiſibile, tamen additum alteri puncto, ſeù alteri indiuiſibili, conflat extenſum, & diuiſibile.

Prob. Conſ. Non minus vna Vnitas non eſt numerus, & vna pars non eſt Compoſitum, ac vnum punctum non eſt extenſum, & vnum indiuiſibile, non eſt diuiſibile, ſed hoc non obſtante, vna Vnitas quæ non eſt numerus addita alteri vnitati, quæ etiam non eſt numerus, cum ipſa conflat numerum, & materia, quæ non eſt compoſitũ addita formæ, quæ ſola, nec etiam eſt compoſitum,

tum, coſtituit cum ipſa compoſi-
tum, ergo licet ex duobus pun-
ctis, neutrum ſeorſim ſit exten-
ſum, & diuiſibile, vnitim tamen
poterunt extenſum, & diuiſibile
conſtituere.

*Soluitur.*

ARiſtoteles non probauit, ſed demonſtrauit continuum non poſſe conſtare punctis indiuiſibilibus; Et ad argumentum propoſitum reſpōdeo ex doctrina eiuſdem Ariſtotelis probantis indiuiſibile additum alteri indiuiſibili non conflare diuiſibile, & extenſum, eo quod vnum deberet aliud contangere, proindeque cum alio penetrari; vnde diſparitas eſt euidens inter duas vnitates ex vna parte reſpectu numeri, & duo indiuiſibilia ex altera reſpectu continui. Viſnè ſcire, quare vna vnitas addita alteri, conflat numerum, quamuis neutra

ſeorſim ſit numerus? quia ad conflandum numerum non requiritur contactus vnitatum, ſed ſufficit coexiſtentia earundem: exiſtunt nè duo lapides? ergo exiſtit binarium, & nil aliud excogitabile requiritur. Vis nè ſcire quare duo indiuiſibilia, non poſſint conſtituere vnum diuiſibile? Ratio non eſt præcisè, quia ſunt indiuiſibilia, ſed quia ad habendum continuum diuiſibile, non ſufficit coexiſtentia partium, ſed prætereà contactus earum, & quia duo indiuiſibilia non poſſunt tangi eo contactu, quem decet componentia continui, ideò vnum indiuiſibile, cum altero non componit diuiſibile.

Quod non poſſint duo indiuiſibilia tangi tali contactu, qualis requiritur ad compoſitionem continui. Probo, & ſimul reſpondeo ad aliam paritatem, quæ afferebatur in argumento. Materia non eſt compoſitum, & tamen

men addita formę conſtituit compoſitum; ſateor: ergo etiam vnum indiuiſibile, licet non ſit diuiſibile, poterit cum alio, diuiſibile conſtituere.

Nego Conſ. & diſparitas eſt, quia ad habendum Compoſitum phyſicum per ſe ille contactus requiritur, qui ſit penetratio, materia, & forma, licet ſeorſim neutra ſit Compoſitum, attamen poſſunt penetratiuè tangi, ergo poſſunt Compoſitum conſtituere; at vero ad habendum Continuum duo requiruntur, & quod ea, quæ ipſum conſtituunt, ſe tangant (quod non requiritur ad habendum numerum, vt ſupra) & quod ſe tangant ſine penetratione, duo indiuiſibilia non poſſunt ſe tangere ſine penetratione, ergo non poſſunt habere eum contactum, quem continui ſtructura exigit, proindeque non valent ipſum conſtituere, non præciſe, quia ſunt indiuiſibilia, ſed

quia, cum ſint indiuiſibilia, vel nullo modo ſe tangunt, vel ſi ſe tangunt penetrantur, quomodocumque dicas, ſemper excludes ea à continui conſtitutione. Quod duo puncta non valeant ſe tangi ſine penetratione, optimè probat Philoſ. ex eo, quod ea ſe tangere ſecundum ſe tota, cum careant omnino partibus neceſſum ſit.

Dices, ſe tangunt quidem ſecundum ſe tota, ſed non per hoc penetrantur.

Faue; tunc dicimus duo penetrari, cum habent eandem vbicationem, replentque eundem locum; vel ergo cum duo puncta ſe tangunt ſunt in eodem loco, vel in duobus; ſi primum ecce penetratio; ſi ſecundum, ergo non ſe tangunt.

Dices ſe tangunt, ſed exiſtunt in duobus locis.

Contra quia hoc implicare clariſſime oſtenditur. Vel totum pun-

punctum B, eſt in loco vbi eſt punctum A, vel ſola pars puncti B eſt in loco puncti A, vel nihil puncti B, eſt in loco vbi reſidet punctum A, ſi primum, ergo ſunt omninò in eodem loco, & quid aliud requiritur, vt penetrentur? Si ſecundum, ergo indiuiſibile habet partes, quarum ſecundum vnam eſt in loco alterius indiuiſibilis, non verò ſecundum aliam; & quid repugnantius puncto? ſi tertium; quomodo ergo ſe tangunt? Si nihil vnius puncti, eſt, vbi eſt aliud?

At per Ariſtotilem pars A. tangit partem B. non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum ſui partem, quæ neque tangit B ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliam ſui partem, & hæc ſecundum aliam, &c. ex quo nihil aliud inferri poteſt, niſi proceſſus in infinitas partes, quem libenter concedunt Peripateci.

Aſſignare poſtea in puncto

omninò indiuiſibili, plura latera, pluresſque facies, vel aſpectus, eſt omnino ridiculum, & potius cum Poetis Gerionem fingere, quam philoſophicè punctum adſtruere.

Dicere cum Alijs, continuum conſtare punctis inflatis (clarius dixiſſent hydropicis) ſcilicet virtualiter diuiſibilibus, & formaliter indiuiſibilibus, eſt valde nobilitare exinanitam quidditatulam puncti, eſt enim fingere punctum ad modum Angeli; quid enim importat punctum eſſe virtualiter diuiſibile? forſitan poſſe diuiſibile conſtituere? at hoc quæritur quomodo, ſcilicet poſſit indiuiſibile conſtare diuiſibile, cum contactu nè, vel ſine? & ſic viget denuo argumentum ſuprapoſitum. Forſitan punctum, eſt virtualiter diuiſibile per hoc quod æquiualeat diuiſibili? at dic quæſo, cui diuiſibili æquiualet, parti nè, vel toti continuo? non primum

mum, quia per tè non dantur hæ partes diuiſibiles, non ſecundum, quia pars cum ſit imperfectior, non æquiualet toti quod eſt ſè perfectius; materia non eſt virtualiter Compoſitum per æquiualentiam, quia eſt imperfectior ipſo.

## ARGVMENTVM XXXIV.

*Contra eos, qui opinantur poſſibilem eſſe Creaturam principaliter creantem.*

NOn eſt poſſibilis aliquis effectus creatus, qui non debeat magis ſuum eſſe Cauſæ primæ, quam Cauſæ ſecundæ, ſed ſi dari poſſet Creatura creans principaliter, poſſet dari aliquis effectus, qui non deberet magis ſuum eſſe Cauſæ primæ, quam ſecundæ, ergo cum hic effectus implicet,

plicet, implicat Creatura principaliter creans.

Maior ſupponitur vera. Prob. minor, ideò quilibet effectus creatus, magis debet ſuum eſſe Cauſæ primæ, quam ſecundæ, quia ad omnia ſua prædicata concurrit Cauſa prima, non verò ad omnia concurrit Cauſa ſecunda, ſed ſi daretur Creatura principaliter creans, eius effectus non minus dependeret quoad omnia ſua prædicata à cauſa ſecunda, quam à prima: ergo non minus deberet ſuum eſſe Cauſæ ſecundæ; quam Cauſæ primæ.

Prob. ma. In omnibus effectibus creatis compoſitis, datur materia prima, quæ à ſolo Deo creatur; in alijs effectibus creatis ſimplicibus v. g. Angelis, Animis rationalibus, datur tota entitas ipſorum, quæ pariter à ſolo Deo producitur, ergo in omnibus effectibus creatis datur ſaltem aliquod prædicatum quod à ſo-

lo

lo Deo prædicitur.

At ſi v.g. Angelus aliquis crearet alium Angelum, in hoc alio Angelo creato, nullum daretur prædicatum à ſolo Deo productum, ergo hic Angelus non magis deberet ſuum eſſe Deo, quam alteri Angelo, qui eſſet ſuus creator.

Nec valet reſpondere, quod Angelus creatus magis deberet ſuum eſſe Deo, quam alteri Angelo ſuo creatori, quia à Deo penderet tanquam à Cauſa generali, & vniuerſaliſſima, ab Angelo verò penderet tanquam à Cauſa particulari.

Non inquam hoc valet, nam per hoc quod Sol concurrat ad productionem hominis tanquam Cauſa generalis, non ſequitur quod homo productus magis debeat ſuum eſſe Soli, quam alteri homini ſuo Patri, ergo ratio Cauſæ generalis non infert in effectu maiorem dependentiam, à Deo, quam à Cauſa ſecunda.

Nec

Nec valet quod iſta creatura creans, poſſet tantum creare aliquam formam alicuius compoſiti, & ſic ſemper daretur aliquod in effectu à ſolo Deo productum, ſcilicet materia prima.

Non inquam hoc valet, nam hæc creatura haberet ex natura ſua potentiam ad creandum (vt quæſtionem ſuppono agitari) ſicuti, nunc multæ creaturæ habent ex proprijs naturis potentiam ad generandum; ergo non eſſet ratio quare poſſet creare formam v. g. muſcæ, & non materiam, cum potius materia, quam forma muſcæ inſpiciatur à potentia creatiua, quod ſi impediretur à Deo, nè crearet materiam, profectò Deus ita eam impediret, vt poſſet non impedire, caſu ergo quò eam non impediret, iam creare poſſet materiam, & formam muſcæ, & ſic non magis deberet muſca ſuum eſſe Deo, quã huic Creaturæ creanti.

Vt-

Vrgeo magis. In tantum nunc Leo v.g producit ſolum formam, & non materiam Leonis, in quantum ipſe aliam potentiam non habet niſi generatiuam, quæ non inſpicit materiam intra latitudinem ſui termini adequati, quod ſi materia eſſet generabilis, non daretur ratio, quare Leo in productione Leonis attingeret formam, & non materiam ipſius; eodem modo diſcurro de potentia creatiua, quæ inſpicit omne creabile, ergo ſi aliqua Creatura hac potẽtia frueretur, & per eam poſſet creare formam, cur non poſſet etiam creare materiam? Si poſſet creare formam etiam materialem, quæ petit de ſe generari, cur non poſſet creare materiam, quæ de ſe petit creari? ergo poſſet vtrumque, vnde eius effectus non deberet magis ſuum eſſe Cauſæ primæ, quam Cauſæ ſecundæ.

*Sol-*

### *Solnitur.*

HOc argumentum affert P. De Quiros, & à multis, vt multum ingenioſum extollitur. Quanta ſit eius vis videamus, effectus Creaturæ Creantis non deberet magis ſuum eſſe Deo quam huic Creaturæ, à qua ſimul cum Deo Crearetur. Nego ſequelam. Nihil eſſet in hoc effectu, quod non eſſet, vel non poſſet eſſe productum etiam à tali Creatura creante. Concedo.

Ergo æqualiter deberet ſuum eſſe Deo, ac huic Creaturæ. Nego Conſequentiam. Per quid ergo magis deberet ſuum eſſe Deo, quam huic Creaturæ? quia taliter, ad eum producendum concurreret Deus quod ſine concurſu Dei, nullatenus poſſet poni in actu, vnde à Deo penderet eſſentialiter; taliter verò ad eam producendam concurreret hæc Creatura

tura Creans, vt etiam ſine ipſa, poſſet à ſolo Deo produci, ergo ab hac Creatura effectus penderet accidentaliter. Sed maior eſt dependentia eſſentialis, quam accidentalis, ergo hic effectus huius creaturæ creantis, magis teneretur Deo, quam Cauſæ ſecundæ.

Exemplifico. De facto forma Ignis producitur à Deo, & ab igne, & nihil eſt in hac forma ignis, quod productum ſit à ſolo Deo, quia non loquor de toto compoſito Ignis, in quo datur materia à ſolo Deo producta, ſed de ſola forma; & tamen non per hoc inferet De Quiros formam ignis non debere magis ſuùm eſſe Deo, quam igni, quare? quia concurſus Dei eſt eſſentialiter requiſitus, non verò concurſus alterius ignis; hac eadem doctrina vtor in ſolutione argumẽti, quod attuli non roboris, ſed nouitatis cauſa.

AR.

# ARGVMENTVM XXXV.

*Contra eos, qui opinantur Mundum potuiſſe produci ab æterno, ſaltem quò ad permanentia.*

DEus non poteſt derogare ſuo perfectiſſimo dominio, ſed ſi produxiſſet mundum ab æterno derogaſſet ſuo perfectiſſimo dominio, ergo cum hoc non poſſit, non potuit producere, nec vnam creaturam ab æterno.

Prob. mi. perfectiſſimum dominium exigit, vt Deus poſſit in quòlibet inſtanti deſtruere creaturam, ſed ſi Deus produxiſſet creaturam aliquam ab æterno, non potuiſſet per totam æternitatem eam deſtruere, ergo derogaſſet ſuo perfectiſſimo Dominio.

Prob. mi. Æternitas eſt vnicum indiuiſibile inſtans, ergo ſi Deus

Deus produxiſſet creaturam ab æterno non potuiſſet eam per totam Æternitatem deſtruere.

Prob. Conſ. in vnico, & eodem indiuiſibili inſtanti non poteſt res produci, & deſtrui, quia ſimul eſſet, & non eſset, ſed in hoc inſtāti indiuiſibili Æternitatis creatura producta fuiſſet, ergo in eodem inſtanti non potuiſſet deſtrui, & ſic Deus non fuiſset Dominus ſuæ creaturę eam deſtruendi, niſi poſt decurſum totius Æternitatis, ſcilicet in tempore, at in Æternitate eam deſtruere non potuiſset.

Neque dici poteſt, quod Deus produxiſset aliquam creaturam in vno inſtanti Æternitatis, & in alio eam deſtruiſset; Quia hoc aliud inſtans deſtructionis, eſset poſterius inſtanti productionis, ergo non eſset inſtans Æternitatis, in qua non eſt aſſignabile prius, & poſterius, ſed eſset inſtans temporis, proindeque Deus

non

non deſtrueret Creaturam niſi poſt totam Æternitatem elapſam, vnde iam Creatura illa duraſset per Æternitatem, in quâ Deus eam deſtruere nequiſset, quod eſt derogare perfectiſſimo Dominio Dei.

*Soluitur.*

HOc argumentum ſi probaret intentum, probaret Deum non potuiſse Creaturam in tempore producere, quia in eodem inſtanti temporis non poteſt Creatura produci, & deſtrui: ergo tenetur Deus, & non poteſt non conſeruare pro aliquo tempore Creaturam, quam in tempore produxit, vnde non eſt Dominus deſtruendi pro quoſibet inſtanti ſuam Creaturam, & ſic etiam productio Creaturæ in tempore derogaret perfectiſſimo Dominio Dei.

Directè dico, non eſse abſurdum

dum Creaturam ab æterno productam debere in æternum durare, nam hoc debitum, ſeù hæc neceſſitas, eſt ex ſuppoſitione, quod producta ſit ab æterno, vnde non derogatur Dominio Dei, qui non eſset abſolutè, & ſimpliciter impotens deſtruere Creaturam, ſed tantum ex ſuppoſitione, quod decreuerit eam in æternitate producere.

Dices Deus decreuit tantum creaturam ab æterno producere, non vero eam conſeruare per æternitatem, ergo neceſſitas hæc conſeruandi creaturam per æternitatem, non eſset ex ſuppoſitione decreti, ſed abſoluta, proindeq; derogans perfectiſſimo Domio Dei.

Reſpondeo, quod Deum decernere productionem Creaturæ ab æterno, eſsentialiter importat, Deum decernere conſeruationem eiuſdem in æternitate, quia quod in æternitate, produ-

citur

citur, in ea exiſtit, ſed exiſtere in æternitate, eſt durare per æternitatem, ergo produci in æternitate, eſt per æternitatem durare, & conſeruari, nam in æternitate, idem eſt inſtans productionis, & conſeruationis, ergo quod producitur ab æterno in æternitate conſeruatur, & per æternitatem durat, alioquin in vno inſtanti produceretur, & in alio conſeruaretur, & inſtans productionis neceſsario antecederet inſtans cõſeruationis, quod æternitati repugnat. Vnde à primo ad vltimum, creatura hæc deberet conſeruari per æternitatem, ex ſuppoſitione quod Deus decreuerit eam ab æterno condere.

# ARGVMENTVM XXXVI.

*Contra Fautores diſtinctionis formalis ex natura rei Scoticæ inter gradus metaphyſicos.*

EA quæ non diſtinguntur phyſicè, nullo modo realiter diſtinguntur; ſed in homine v. g. ratio ſubſtantiæ, ratio corporis, & cæteræ formalitates non diſtinguntur realiter, ac proinde ſi diſtinguntur, vel hæc diſtinctio erit virtualis, vel rationis.

Prob. ma. In qua eſt tota vis: ea quæ non diſtinguntur phyſicè, phyſicè identificantur; ergo ſi realiter diſtinguerentur, maximè diſtinguerentur realiter metaphyſicè; ſed diſtinctionem eſſe realem metaphyſicam implicat in terminis: ergo ea quæ phyſicè identificantur non poſſunt realiter diſtingui.

Prob.

Prob. mi. Huius ſyllogiſmi: quia tunc res dicitur metaphycè ſumpta quando non ſumitur ſicuti eſt à parte rei, ſcilicet cum omnibus illis prædicatis, cum quibus à parte rei identificatur: ergo tunc res metaphyſicè ſumitur, quando præſcinditur ab Intellectu ab illis prædictis cum quibus identificatur à parte rei: ergo idem eſt ſtatus metaphyſicus, ac ſtatus præciſionis; ſed ſtatus præciſionis non eſt ſtatus realis: ergo neque ſtatus metaphyſicus, ac proinde à primo ad vltimum, ſi formalitates metaphyſicè diſtinguntur, diſtinguntur per præciſionem Intellectus, ſcilicet diſtinctione rationis.

Confirmatur, nam quando dicit Scotiſta, formalitates hominis realiter diſtingui, vel ſumit has formalitates in abſtracto, vel in concreto, ſcilicet, vel dicit, quod in homine animal diſtinguitur à rationali, vel quod animalitas

malitas diſtinguatur à rationali-tate; Si primum: ergo diſtinguntur phyſicè omni diſtinctione reali rigoroſa.

Prob. Conſ. Quia animal, & rationale ſunt duæ res, (dico duæ res ſuppoſita diſtinctione Scoticà) quia res eſt id quod exiſtit; ſed ſimiliter animal, ac rationale eſt id quod exiſtit, valet enim iſta propoſitio, animal exiſtit; ſed animal, & rationale per Scotiſtas diſtinguntur realiter: ergo cum ſint res debent diſtingui realiter rigoroſè, ac proindè phyſicè. Si ſecundum: ergo iſta diſtinctio formalis intercedit inter animalitatem, & rationalitatem; ſed à parte rei non dantur animalitas, & rationalitas in abſtracto: ergo iſta diſtinctio non intercedit inter formalitates reales, ac proindè nec ipſa erit realis.

Prob. hæc min. quia terminus abſtractus eſt ille, qui ſignificat

formam ſeparatam, vel diſtinctam ſaltem à ſubiecto, ita taliter, quod, ſi ſignificet formam realiter diſtinctam, vel realiter ſeparatam à ſubiecto, ille terminus abſtractus eſt realis, & phyſicus; Si verò ſignificet formam ſolum intentionaliter ſeparabilem à ſuo ſubiecto, ſit terminus abſtractus intentionalis: exemplum primi eſt albedo; exemplum ſecundi eſt humanitas; ſed rationalitas, non eſt forma realiter diſtincta, aut realiter ſeparabilis ab animali, nec animalitas à rationali: ergo non ſunt termini abſtracti reales, ſed tantum intentionales, ac proindè diſtinctio intercedens inter hos duos terminos eſt diſtinctio intentionalis, non realis.

Sol.

*Soluitur.*

TOta difficultas reducitur in illa inſtantia, in qua dicitur, quod ſtatus metaphyſicus non ſit realis, eo quia præciſiuus; & ſanè licèt ſtatus pręciſionis ſit realis quatenus reale contradiſtinguitur à chimera, in quo ſenſu omnes ſecundæ intentiones reales dici poſſunt, non videtur tamen eſſe realis, ſi *tò* reale ſe teneat ex parte, ſeù ex natura rei, & in hoc ſecundo ſenſu, cenſeo Scotiſtas diſtinctionem eorum formalem appellare realem, dummodo volunt eam eſſe diſtinctionem ex natura rei. In hoc conſiſtit cardo difficultatis, quomodo nimirum hæc diſtinctio poſſit eſſe ex natura rei, & metaphyſica.

Noto dari præciſionem ex parte obiecti, & ex parte actus, prima infert aliquam diſtinctionem in

ipſa re, ſeù in ipſo obiecto, per quam poſtea Intellectus ſine vllo mendacio vnam formalitatem ipſius obiecti ab alia præſcindit, & hæc eſt ſecunda præciſio ex parte actus: quo poſito, poteſt etiam diſtingui duplex ſtatus metaphyſicus, obiectiuus vnus, formalis alter, primus eſt realis, quia obiectum ex parte cuius ſe tenet, eſt reale, ſecundus eſt intentionalis, cum non ſit aliud niſi conſiderare vnum abſque perceptione alterius.

Reſpondeo in forma, negando nullo modo poſſe realiter diſtingui ea, quæ phyſicè identificantur, poſſunt enim diſtingui realiter metaphyſicè; hinc nego implicare in terminis, diſtinctionem eſſe realem, & metaphyſicam, quia non ſemper *tò metaphyſicum* appellat ſupra ſtatum intentionalem, ſed ſolum quando ſe tenet ex parte actus; in caſu hæc diſtinctio ſe tenet ex parte

obie-

obiecti, etenim in ipſo homine v. g. nullo adueniente opere Intellectus (aiunt Scotiſtæ) animalitas non eſt rationalitas: ergo licèt ſit metaphyſica, quia tamen eſt metaphyſica obiectiua, non metaphyſica formalis, hinc eſt realis, non intentionalis.

Status metaphyſicus eſt ſtatus præciſionis. Fateor, quid inde? ergo eſt intentionalis. Inepta illatio. Datur enim duplex præciſio, formalis, & obiectiua, prima eſt intentionalis, non verò ſecunda, quia ſi vtraque eſſet intentionalis, vtraque ſe teneret ex parte noſtræ intentionis: ergo neutra eſſet obiectiua: igitur cum detur præciſio obiectiua, vt pro certo Scotiſtæ ſupponunt, non valet inferre, ex eo quod ſtatus metaphyſicus ſit præciſiuus, ipſum eſſe intentionalem, & ſic à primo ad vltimum, diſtinctio formalis Scotica eſt inter formalitates obiectiuè præciſas, non for-

maliter tantum præciſas, adeoq; eſt realis.

Ad confirmat. Dico, quod hæc diſtinctio mediat non inter animal, & rationale, ſed inter animalitatem, & rationalitatem; & quando Aduerſ. inſurgit, animalitas eſt terminus abſtractus ſignificans formam ſine ſubiecto; ſed à parte rei non datur hæc animalitas ſine ſubiecto: ergo hæc animalitas in abſtracto non eſt quid reale, proindeque diſtinctio, quæ intereſt inter animalitatem, & rationalitatem non eſt realis.

Reſpondeo, quod vtique animalitas in abſtracto ſignificat principium ſentiendi præciſum ab indiuiduo, quod eſt veluti eius ſubiectum, & ſic Conc. ma. & diſtinguo min. animalitas ſine ſubiecto, ſeu præciſa à ſubiecto non eſt à parte rei: animalitas præciſa formaliter, hoc eſt, cognitio præſcindens animalitatem à ſubbiecto, non eſt à parte rei; Conc.

mi.

mi. animalitas præciſa obiectiuè, hoc eſt, ipſum principium ſentiendi, quod per cognitionem præciſiuam Intellectus cognoſcitur, non cognito principio diſcurrendi non eſt à parte rei. Nego min.

Dices: vtique id quod præſcinditur eſt à p.r. ſed prout præciſum non eſt à p. r.

Contra: quid intelligis, quando dicis, prout præciſum, loqueris ne de præciſione formali, vel obiectiua? ſi de prima, concedo quod principium ſentiendi, vt præciſum, non ſit à p. r. quod poſtea nego, ſi ſermo ſit de ſecunda, quia præciſio obiectiua non eſt præciſio formalis: ergo non reduplicat ſupra actum Intellectus, ſed ſupra ipſum obiectum à parte rei exiſtens. Res igitur ita ſe habet. Antequam adueniat Intellectus, vt præſcindat animalitatem à rationalitate, in ipſo obiecto datur fundamentum, vt Intel-

lectus poſſit ſine errore vnum prædicatum conſiderare, non conſiderato alio; Hoc fundamentum eſt diſtinctio formalis Scotiſtarum, quæ cum ſe teneat ex parte obiecti, dicitur ex natura rei, & cum hæc prædicata communiter vocentur formalitates, ſcilicèt partes eſſentiæ, ſeu eſſentiolæ, dicitur formalis, & reuera, ſi nulla diſtinctio eſſet inter principia ſentiendi, & diſcurrendi, quomodo poſſet Intellectus ſine errore vnum concipere non concepto alio? Recurres ad diſtinctionem virtualem? at eam non ſufficere probant Scotiſtæ argumento ſequenti.

AR-

# ARGVMENTVM XXXVII.

*Contra negantes huiuſmodi diſtinctionem formalem ex natura rei.*

DAtur vniuocatio: ergo inter gradus metaphyſicos datur diſtinctio formalis ex natura rei.

Prob. Conſ. *Vniuoca ſunt ea, quorum nomen comune eſt, ratio ſignificata per ipſum eſt omnino eadem*, vel omnino ſimilis (vt alij dicunt) ſed niſi daretur diſtinctio formalis ex natura rei, non ſaluaretur veritas huius definitionis: ergo ex quo dantur vniuoca, danda eſt hæc diſtinctio.

Prob. mi. Et claritatis gratia loquamur de vniuocatione animalis. Animal quod eſt in homine, cum ſit animal rationale, non eſt nec omninò idem, nec omnino ſimile animali exiſtenti in Leone, quod eſt rugibile: er-

go homo, & leo non conueniunt vniuocè in ratione animalis, niſi ratio animalis præſcindatur à rationali, & rugibili, dicendo, licèt homo, vt animal rationale, eſt non conueniat vniuocè cum leone ſumpto, vt animal rugibile eſt, attamen, ſi homo ſumatur tantum, vt animal (ecce præciſio) omnimodè conuenit cum leone pariter accepto tantum vt animal. Tunc ſic.

Hæc præciſio fieri non poteſt niſi hæc duo prædicata quæ ſunt in homine, in ſe ipſis diſtinguantur: ergo vt habeatur vniuocatio prærequiritur diſtinctio, non purè realis, quia hæc duo prædicata non ſunt duæ res, ſed duæ formalitates eiuſdem rei, ſcilicet hominis: ergo realis formalis, non phyſica, quia phyſis idem ſonat, ac natura, ſeù entitas, vel realitas; & cum hæc duo prædicata non ſint duæ naturæ, vel duæ entitates, ſeù realitates,

hinc

hinc eſt diſtinctio vtique realis, ſed formalis metaphyſica.

Prob. Antecedens. Ab eſſentialibus non poteſt præſcindi; ſed ſi hæc duo prædicata hominis, ſcilicet animal, & rationale non diſtinguerentur formaliter, cum ex alia parte non diſtinguantur entitatiuè, eſſent eſſentialiter idem: ergo non poſſet Intellectus vnum ab alio præſcindere.

Thomiſtarum reſponſionem præuenio: prærequiritur quidem (aiunt) aliqua diſtinctio ex parte obiecti, quis negat; ſed eam eſſe formalem ex natura rei Scoticam, hoc negamus. Quare non ſufficit virtualis, quæ etiam eſt intrinſeca, & ſe tenet ex parte obiecti?

Contra. Vt Intellectus præſcindat in homine principium ſentiendi à principio diſcurrendi, talis diſtinctio requiritur, vt per ipſam id, quod præſcinditur independenter ab Intellectu non

ſit id à quo præſcinditur; ſed di-ſtinctio virtualis non eſt ſufficiens vt independenter ab Intellectu principium ſentiendi nõ ſit principium diſcurendi: ergo non eſt ſufficiens, vt Intellectus vnum ab alio præſcindat.

Maior huius ſyllogiſmi patet, quia ſi id, quod præſcinditur eſſet id à quo præſcinditur, idem præſcinderetur à ſe ipſo: ergo neceſſe eſt, ad hoc vt vnum præſcindat ab alio, hoc vnum non eſse illud aliud.

Prob. igitur mi. Diſtinctio virtualis non ponit duplicitatem in ſubiecto in quo eſt: ergo diſtinctio virtualis non eſt ſufficiens, vt vnum non ſit aliud.

Prob. Antecedens. Vnum eſſe virtualiter multiplex non aliud dicit niſi vnum æquiualere multis: ergo diſtinctio virtualis dicit vnitatem in ſubiecto, in quo eſt, licèt ſupponat pluralitatem in termino.

Clas

Clarius; Vnum eſſe virtualiter diſtinctum, dicit vnum æquiualere diſtinctis; hæc æquiualentia duo dicit, vnum in recto, quod eſt ſubiectum, de quo prædicatur, aliud in obliquo, & eſt terminus, cui illud vnum æquiualet, omnis enim æquiualentia dicit *id quod*, & *id cui* æquiualet; ſed *id quod* eſt vnum, & *id cui* eſt multiplex: ergo diſtinctio virtualis non ponit duplicitatem in ſubiecto: ergo non ſufficit vt in ſuo ſubiecto vnum prædicatum non ſit aliud, quia tunc non vnum æquiualeret multis, ſed multa æquiualerent multis, quod eſt contra naturam diſtinctionis virtualis.

*Soluitur.*

Tota difficultas reducitur in hoc, quomodo, ſcilicet diſtinctio virtualis, licet non ponat duplicitatem ſuo ſubiecto, ſit tamen

men val dum fundamentum, vt Intellectus ſine errore vnum ab alio præſcindat: quod ſic explico: vnum eſſe virtualiter diſtinctum importat vnitatem ex parte ſubiecti, & diſtinctionem ex parte termini, hoc do Scotiſtis, attamen, licèt importet ſubiectum vnum, hoc tamen vnum ſubiectum æquiualet multis. Quid eſt hoc? ſanè non aliud niſi vnum poſſe ſaluare ea omnia quæ ſaluarentur per multa, loquendo in eo genere, in quo hoc vnum æquiualet multis. Vndè claritatis gratia, loquamur de æquiualentia in cauſando. Quid eſt Deum eſſe virtualiter multiplicem in cauſando? eſt quod Deus, licèt perfectiſſimè vnus, tamen poteſt cauſare plures, & plures effectus, quos cauſant plures, & plures cauſæ, vndè licèt homo, leo, ignis, &c. cauſentur à pluribus cauſis creatis, tamen eos omnes vnus Deus cauſat, qui cum ſit

vnus

vnus virtualiter multiplex in cauſando, poteſt producere ea quæ à pluribus cauſis produci poſſunt. Similiter diſcurro de æquiualentia circa hoc quod eſt correſpondere actibus Intellectus; licèt homo ſit vnus, & etiam poſita diſtinctione virtuali remaneat vnus, tamen eſt virtualiter multiplex: ergo licèt ſit vnum obiectum, eſt tamen virtualiter multiplex obiectum: ergo poteſt ſaluare ea quæ ſaluantur per multa obiecta; ſed multa obiecta ita ſe habent reſpectu Intellectus, vt vnum terminet eius cognitionem, aliud non, vt vnum cognoſcatur alio non cognito: ergo animal rationale, licèt in ſe vnum obiectum ſit, tamen cum ſit virtualiter multiplex, habet eam virtutem, quam habent multa obiecta in genere obiectiuo, ſcilicèt in hoc quod eſt correſpondere actibus Intellectus, proindeque animal cognoſcitur, non cognoſcitur ratio-

tio.

tionale, nam ſicuti obiecta quæ reuera ſunt plura ita ſe habent, vt vnum cognoſcatur, & aliud non, ſic hoc animal rationale, licèt vnũ, quia eſt tamen æquiualens multis; cognoſcitur, & non cognoſcitur principium ſentiendi, non verò diſcurrendi, & quid aliud requiritur ad perfectam præciſionem, vt inde conſequatur vniuocatio? ergo ſine diſtinctione formali Scotica vniuocatio ſaluari poteſt.

Video te non omnimodè ſatiſfactum, & iam prorumpis in ſarcaſmum. Bone Deus! cognoſci, & non cognoſci ſunt contradictoria, animal, & rationale, adhuc poſita diſtinctione virtuali remanet vnum, & idem, quomodo, ergo vnum, & idem cognoſcitur, & non cognoſcitur?

Ne mireris, hoc idem tu ipſe fateris; dic mihi, animal, & rationale quot formalitates ſunt in tua ſententia? profectò duæ. Benè.

Dic

Dic inſuper, rationalitas ſubdiuiditur à tè in alias duas formalitates? procedis ne in infinitas formalitates in homine? nequaquam. Ego tibi oſtendo, quod rationalitas licèt vna ſit, & indiſtincta formalitas, tamen cognoſcitur, & non cognoſcitur, quod ſic probo. Poſſum cognoſcere hominem, nihil cogitando de leone, cane, & cæteris animalibus, ſanè tunc cognoſco hominem conſtitutum in eſſe hominis, & non cognoſco differentiam, quæ eſt inter hominem, & leonem, &c. quia nihil cogito de leone, proindeque nihil cogito de differentia, quæ non poteſt cognoſci niſi cognoſcantur duo, circa quæ intereſt: ergo cognoſco conſtitutiuum hominis, & non cognoſco diſtinctiuum hominis; conſtitutiuum hominis, & rationalitas (loquor de formali) diſtinctiuum hominis eſt rationalitas; ergo eadem rationalitas cogno-

gnoſcitur, & non cognoſcitur. Hoc eſt maius miraculum. Rationalitas eſt vna realiter, vna formaliter, vna virtualiter, & tamen eadem cognoſcitur, & non cognoſcitur. Cognoſcitur, vt conſtitutiua, non cognoſcitur, vt diſtinctiua, licèt, vt conſtitutiua, & vt diſtinctiua ſit vna formalitas ex natura rei, niſi velis vnam rationalitatem diuidere in duos gradus metaphyſicos.

At reſpondeamus directè ad inſtantiam. Ex pluribus obiectis realiter pluribus vnum cognoſcitur, & aliud non, & contradictio ſaluatur per diſtinctionem realem ipſorum; ſed vnum eſſe virtualiter multiplex dicit vnum poſſe ſaluare totum, id quod ſaluatur per multa, perinde ac ſi in ſe multiplex eſſet: ergo cum animal rationale ſit virtualiter multiplex, poteſt ſaluare eam contradictionem, quam ſaluant multa obiecta; multa obiecta ſaluant con-

contradictionem, quæ eſt inter cognoſci, & non cognoſci, ſicque vnum cognoſcitur, & aliud non: ergo animal rationale illis multis æquiualendo, eandem contradictionem ſaluare queit, proindeq; poteſt animal cognoſci abſque eo quod rationale cognoſcatur.

---

## ARGVMENTVM XXXVIII.

*Contra negantes etiam diſtinctionem virtualem inter gradus metaphyſicos.*

SI non daretur ſaltem diſtinctio virtualis inter gradus metaphyſicos, ſequeretur, quod actus ille, quo quis deteſtatur peccatum propter amorem Dei, eſſet amor non minus Dei quam peccati, & eſſet odium non minus peccati quam Dei; vnde ſimul, & ſemel eliciens talem actum,

actum, amaret, & odio haberet Deum, odio haberet, & amaret peccatum; hoc eſt abſurdum: ergo, & id vnde ſequitur.

Prob. ſequela ma. Hic actus non eſſet neque virtualiter duplex, ſed omninò vnicus, & indiuiſibilis: ergo totus terminaretur ad ſuum obiectum; ſed totus eſt amor, & odium: ergo, tum ad Deum, tum ad peccatum terminaretur, vt amor, & odium, proindèque, non minus eſſet odium peccati, quam Dei, non minus amor Dei, quam peccati.

Vrgeo magis: in tantum peccatum per hunc actum denominatur odio habitum, in quantum terminat hunc actum qui eſt odium; ſed hic idem actus eſt amor: ergo peccatum terminando hunc actum, debet ſimiliter denominari amatum. Inſuper, in tantum Deus per hunc actum denominatur amatus, in quan-

tum

eum terminat actũ qui eſt amor; ſed hic idem actus eſt etiam odium: ergo Deus terminando ipſum debet denominari odio habitus.

Reſpondent. Hunc actum terminari ad Deum quatenùs amor, & ad peccatum quatenùs odium.

Sed contra. Quia negantes omnem diſtinctionem, etiam virtualem in hoc actu, nihil dicunt per ly *quatenus*, & *quatenus*, ex parte ipſius actus, de quo loquimur, quod ſic oſtendo. Hic actus quatenus amor nullo modo eſt diſtinctus à ſe ipſo quatenùs odium: ergo quando terminatur quatenus amor, terminatur etiam quatenus odium, proindeque non minus denominabit objectum ſuum amatum, ac odio habitum.

Corroboro magis: quando dicis actus quatenus amor terminatur ad Deum, non quatenus odium, vel dicis, quod in ipſo actu

actu ſint duæ formalitates diſtinctæ independenter à tuo Intellectu, quarum ſecundum vnam terminatur, non verò ſecundum aliam, & ſic iam concedis aliquam diſtinctionem intrinſecã ex parte obiecti, vel formalem Scotiſtarum, vel virtualem Thomiſtarum; vel dicis, quod diſtinctio ſe teneat ex parte tui Intellectus, & ſic tota diſtinctio inſinuata per ly *quatenus*, & *quatenus*, eſt diſtinctio rationis: Tunc ſic arguo: indepenter à quocumque noſtro Intellectu præſcindente, D. Petrus v. g. odio habet peccatum propter amorem Dei, hic actus à D. Petro productus ſimul, & ſemel eſt amor, & odium, totus quantus eſt terminatur ad Deum, & terminatur ad peccatum: ergo vtrumque obiectum reddit amatum, & odio habitum.

Reſpondent. Ad Deum terminari per modum proſecutionis,

nis, ad peccatum verò per modum fugæ.

Contra. Eſſe proſecutionis, & eſſe fugæ per te eſt vnum, & indiuiſibile eſſe vnius, & indiuiſibilis actus: ergo ad omne id, ad quod terminatur eſſe proſecutionis, terminatur eſſe fugæ, proindeque cum Deus terminet hoc eſſe proſecutionis, terminabit etiam hoc eſſe fugæ, & conſequenter neceſſe eſt, ipſum eſſe amatum, & odio habitum.

Reſpondent. Hunc actum diuerſo modo terminari ad Deum, & ad peccatum.

Contra. Hic modus diuerſus, vel ſe tenet ex parte ipſius actus, vel ex parte tui Intellectus; ſi primum, habeo intentum; ſi ſecundum, non reſpondes ad argumentum, quod procedit independenter à quacumque præciſione Intellectus.

Reſpondebis cum Arriaga *Diſp. V. Log. ſubſec.4.* à p.r. hunc

actum

actum totum terminari ad Deum, & ad peccatum, non per hoc tamen inferri, per ipſum Deum reddi odio habitum, & peccatum amatum, quia effectus formalis huius actus non eſt odio habere omne quod reſpicit tanquam obiectum, nec amare omne, quod reſpicit, &c. ſed eſt odio habere peccatum, & amare Deum; qua ergo conſequentia infertur, peccatum reddi per hunc actum amatum, & Deum odio habitum? clarius infertur peccatum odio habitum, & Deum amatum.

Meam fateor imbecillitatem, nunquam intelligere potui quid velit hic Author; hoc eſt, quod inquiritur, quare potius per hunc actum Deus redditur amatus, & non odio habitus? ſanè Deus dicitur amatus per hunc actum, quia eſt obiectum huius actus, qui eſt amor; ſed etiam eſt obiectum huius actus qui eſt odium, quare ergo tantum ſumit denominatio-

nem

nem amati, & non odio habiti? cum æquè benè terminet, & amorem, & odium? Dicere quod effectus formalis huius actus non ſit reddere amatum, vel odio habitum omne obiectum, ſed vnum amatum, & aliud odio habitum, eſt merum dicere, ſed non ſatisfacere Patri Lynceo huius obiectionis Authori; ipſe enim interrogat, quare ex duobus obiectis, peccato ſcilicet, & Deo, vnum reddatur per hunc actum odio habitum, ſcilicèt peccatum, & aliud amatum, ſcilicèt Deus? quare non potius è contra? vel quare non vtrumque amatum, vel vtrumque odio habitum? forſan peccatum non eſt capax amoris? vtinam. Vel forſitan Deus non poteſt odio haberi à creaturis?

Alia reſponſio non ſupereſt, niſi, quod hic actus terminetur ad Deum, vt amor, & ad peccatum, vt odium, quia eſt talis naturæ,

eſt enim deteſtatio peccati propter amorem Dei; ſi terminaretur ad peccatum, vt amor, & ad Deum, vt odium, non eſſet amplius talis actus, de quo loquimur.

Sed contra. Nam in hoc eſt difficultas, quomodo poſſit vnus actus omninò indiuiſibilis eſſe talis naturæ, vt licèt totus terminetur ad obiectum, non denominet poſtea ipſum obiectum ſecundum ſe totum? Per nos virtualizantes hæc natura huius actus facilè percipitur, nam cum ſit virtualiter duplex, ſecundum vnam virtualitatem terminatur, & non ſecundum aliam: At per excludentes hanc diſtinctionem virtualem, non video quomodo hic actus poſſit à parte rei terminari, vt amor, non vt odium ad Deum, vt odium, non vt amor ad peccatum.

Exemplifico. Ex eo quia actum eſſe cognitionem obiecti, & eſſe

re-

repræſentationem eiuſdem, non importat duplicem virtualitatem, ſequitur, quod omne obiectum, quod terminat actum, vt cognitionem, terminat etiam ipſum, vt repræſentationem, neque poteſt ſuccedere, quod ad aliquod obiectum actus Intellectus terminetur, vt cognitio, & non terminetur, vt repræſentatio, quare hoc? quia cognitio, & repræſentatio ſunt etiam virtualiter vnum, & idem; ſed etiam in actu deteſtationis peccati, &c. amor, & odium ſunt per te virtualiter vnum, & idem: ergo ad omne obiectum, ad quod hic actus terminatur, vt amor, terminatur etiam, vt odium.

Reſpondet Arriaga *ibid. num.* 67. diſparitatem eſſe, quia cognitio, & repræſentatio ſunt mera ſinomina, ſicuti gladius, & enſis, vndè, ſicuti nulli poteſt conuenire gladius, quin conueniat enſis, ita nulli poteſt conuenire

cognitio, quin conueniat repræſentatio.

Benè. Ergo in hoc actu, de quo loquimur, amor, & odium (vt vigeat diſparitas) non erunt ſolum voces diſtinctæ, ſicuti cognitio, & repræſentatio, gladius, & enſis, proindeque etiam ſignificata harum vocum erunt diſtincta in hoc actu, alioquin eſſent etiam ſinonima. Inquiro, quid per hanc vocem *amor* ſignificatur diſtinctum ab eo, quod ſignificatur per hanc aliam vocem *odium*? ſemper loquor in hoc actu. Vtique reſpondes, per vnam vocem ſignificari amorem, per aliam ſignificari odium. Ergo, infero, ſignificata harum vocum ſunt amor, & odium; ſed hæc ſignificata diſtinguntur in hoc actu: ergo in hoc actu amor, & odium diſtinguntur; ſed amor, & odium ſunt actus: ergo iam habeo duplicem actum diſtinctum, odium, ſcilicèt, & amorem; & cum ex

alia

alia parte non poſſit eſſe hic actus realiter duplex, erit ſaltem virtualiter duplex.

Neque dicas, ſignificata illarum vocum, *amor*, & *odium* diſtingui ſolum per Intellectum, quia ſequeretur, quod independenter ab Intellectu ſignificata non diſtinguerentur, proindeque illæ voces, *amor*, & *odium* à parte rei, idem omnino ſignificarent; ſed per hoc, quod cognitio, & repræſentatio ſignificent idem à parte rei ſequitur, quod omne obiectum cognitum ſit etiam repræſentatum: ergo per hoc quod amor, & odium in hoc actu (noli diſcedere ab hoc actu) idem à parte rei ſignificent, ſequitur, quod omne obiectum amatũ per hunc actum, ſit etiam per eundem odio habitum, & è contra. Vnde diſparitas Arriagæ meo videri tantum abeſt, quod argumentum ſoluat, quod ipſius vires intenſius auget.

*Nulla mihi ſuppetit ſolutio.*

# ARGVMENTVM XXXIX.

*Contra eos, qui opinantur eſſentiam, & exiſtentiam Creaturæ eſſe vnam eamdemque realitatem.*

PRopoſitio in materia contingenti, habet prædicatum realiter diſtinctum à ſubiecto, ſed iſta propoſitio (Creatura eſt exiſtens) eſt in materia contingenti, ergo in ea prædicatum realiter diſtinguitur à ſubiecto; ſed prædicatum eſt exiſtentia, ſubiectum eſt Creatura, ergo exiſtentia realiter diguitur à Creatura.

Maior probatur; Ea propoſitio eſt contingens, in qua prædicatum contingenter aduenit ſubiecto, ſed illud prædicatum, quod contingenter aduenit ſubiecto, realiter diſtinguitur ab ab ipſo, ergo propoſitio in materia contingenti habet prædicatum realiter diſtinctum à ſubiecto.

Minor

Minor eiuſdem primi ſyllogiſmi probatur; Creatura non eſt ens neceſſariò exiſtens; non enim gloriari poteſt ſicuti Deus, qui ex quò eſt ens per sè, & à ſe neceſſariò exiſtens, de ſe ipſo ait *Ego ſum, qui ſum*, ergo Creatura eſt contingenter exiſtens, potuiſſet enim non produci, & non exiſtere, adeoq; illa propoſitio (Creatura eſt exiſtens) eſt in materia contingenti.

Conſequentia videtur ſequi ex probatis præmiſſis; &

Confirmatur magis à pari; Ex eo quia iſta propoſitio (Petrus eſt albus) eſt contingens, ſequitur albedinem realiter diſtingui à Petro, ergo ex eo quia hæc alia propoſitio (Creatura eſt exiſtens) eſt contingens, ſequitur exiſtentiam realiter diſtingui à Creatura.

Reſpondebis; in hac propoſitione (Creatura eſt exiſtens) prædicatum non eſſe exiſtentiam,

ſed eſſe ſubiectum habens exiſtentiam, hunc enim ſenſum propoſitio illa ſonat, videlicet (Creatura eſt ſuppoſitum, ſeù ſubiectum habens exiſtentiam) diceſque omnem propoſitionem fieri per modum identificationis, quia omnis propoſitio, ſit per verbum *eſt*, quæ identificat ſubiectum cum prædicato.

Sed contra; quia licet adhuc ipſe fatear, omnem propoſitionem fieri per modum identificationis, attamen negari non poteſt, dari propoſitiones in materia contingenti, in quibus ſaltem prædicatum veniens in obliquo realiter diſtinguitur à ſubiecto, v.g. in hac propoſitione (Petrus eſt albus) adſunt duo prædicata, vnum veniens in recto, & hoc identificatur cum ſubiecto, aliud veniens in obliquo, & hoc realiter diſtinguitur à ſubiecto; explicemus propoſitionem (Petrus eſt albus) facit hunc ſenſum,

Pe-

(Petrus eſt ſuppoſitum, ſeù ſubiectum habens albedinem) ſubiectum, ſeù ſuppoſitum, eſt prædicatum veniens in recto, & hoc identificatur cum Petro, albedo eſt aliud prædicatum veniens in obliquo, & hoc realiter diſtinguitur à Petro, alioquin non daretur ratio quare iſta propoſitio (Petrus eſt albus) ſit potius in materia contingenti, quam neceſſaria. Similiter in caſu (Creatura eſt exiſtens) hæc propoſitio idem ſonat, ac Creatura eſt ſubiectum habens exiſtentiam; tò ſubiectum habens, eſt prædicatum veniens in recto, & identificatur, cum Creatura, exiſtentia habita, eſt prædicatum veniens in obliquo, & debet realiter diſtingui ab eſſe Petri;

Arguo igitur ſic. Propoſitio in materia contingenti, ſaltem habet, prædicatum veniens in obliquo realiter diſtinctum à ſubiecto; hæc propoſitio (vt ſupra

probatū eſt) Creatura eſt exiſtens, eſt in materia contingenti, ergo in ea ſaltem prædicatum veniens in obliquo realiter diſtingui debet Creatutura, ſed prædicatum veniens in obliquo eſt exiſtentia, ergo exiſtentia realiter diſtinguitur ab eſſentia Creaturæ.

*Soluitur.*

HÆc propoſitio (Creatura eſt exiſtens) non eſt contingens in ſenſu formali, bene tamen in ſenſu cauſali effectiuo: me explico, formalitas, per quam Creatura eſt exiſtens non eſt prædicatum contingenter adueniens Creaturæ; cauſalitas effectiua per quā Creatura exiſtit, ſcilicet productio, eſt prædicatū contingens reſpectu Creaturę; & ratio eſt, quia cuilibet enti neceſſario conuenit exiſtere; quid enim eſt ens, niſi id, quod eſt aptum exiſtere? vel ens non poteſt definiri, vel ſic definien

finiendum eſt; ſi igitur omne ens exigit exiſtere, ſequitur quod exiſtentia per quam ens conſtituitur in eſse entis, non ſit prædicatum diſtrahens à ratione entis, itaut ſi ens eſt purum poſsibile, poſsibilem exiſtentiam in ſua quidditate inuoluat; ſi ens eſt futurum, futuram, ſi præteritum, præteritam, ſi actuale, actualem exiſtentiam in ſuo quidditariuo conceptu abſorbere debeat: itaque quando dicimus (Creatura eſt exiſtens) tò exiſtens, non eſt prædicatum contingens Creaturæ, at id, per quod Creatura eſt exiſtens, ſcilicet actio per quam producitur, verè eſt reſpectu Creaturæ prædicatum contingens; ex quo tantum ſequitur, productionem, eſse quid contingens Creaturæ, quod eſt præter intentum Arguentis.

In forma Reſpondeo; Diſtinguo minor. Sed hæc propoſitio (Creatura eſt exiſtens) eſt in

materia contingenti, in ſenſu formali N. min. in ſenſu cauſali effectiuo C. min.

Dices. Productio eſt quid contingens Creaturæ, ſed per productionem Creatura fit exiſtens, ergo etiam exiſtentia, eſt quid contingens eidem Creaturæ.

Prob. Conſ. quia ſubiecto, cui contingit cauſa, contingit etiam effectus eiuſdem cauſæ.

Reſpon. diſtinguo conſequens, ergo etiam exiſtentia eſt quid contingens, vt producta C. conſ. vt exiſtentia præcisè N. conſ.

Dices; quæſtio poteſt procedere de Creatura producta; an ſcilicet eſſentia, & exiſtentia alicuius Creaturæ productæ, & actualis realiter diſtinguantur, nec nè, ergo ſi exiſtentia producta, eſt quid contingens, vt conceditur reſpectu Creaturę pariter, productæ, habetur intentum.

Reſp. Concedendo, quæſtionem poſſe procedere modo expli-

plicato, Nego tamen ſequi intentum Arguentis, quia Ego non dico, quod exiſtentia producta ſit prædicatum contingens, benè tamen, quod exiſtentia, vt producta, & reduplico ſupra ly producta, contingat eſſentiæ Creaturæ.

Dices; quando dicitur exiſtentia vt producta, non aliud dicitur niſi productio, ſed argumentum procedit de exiſtentia, quæ eſt effectus productionis, ergo non bene reſpondetur, quod exiſtentia, vt producta ſit contingens, quia productio, non eſt effectus productionis: ſic ergo arguitur; Productio eſt quid contingens Creaturæ, ergo etiam effectus productionis, Creaturæ continget: effectus productionis non eſt exiſtentia vt producta. ſed exiſtentia; quæ producitur, ergo exiſtentia, quæ producitur, eſt quid contingens Creaturæ.

Retorqueo inſtantiam; Pro-

ductio

ductio eſt quid contingens Creaturæ, ergo etiam effectus productionis erit quid eidem Creaturæ contingens, ſed eſſentia Creatutæ; quæ producitur, eſt effectus productionis, ergo eſſentia pariter erit quid contingens; cui quæſo? cui contingenter aduenit? Creaturæ? eſſentia Creaturæ contingit Creaturæ? ergo nè Creatura eſt aliud à ſua eſſentia? dicere poſtea, quod eſſentia non producitur, eſt implicantia in terminis; non nè eſſentia ponitur in actu per productionem? & quid aliud eſt rem produci, niſi eam poni in actu, extra cauſas?

Directè; Productio contingit Creaturæ. benè. ergo effectus, ſeu terminus productionis contingit Creaturæ, Nego ſuppoſitum, quia terminus productionis non eſt quid aliud à Creatura, ſed eſt ipſa Creatura, ſecundum exiſtentiam, eſſentiam, & omnes ſuas formalitates, ergo terminus

pro-

productionis non poteſt eſſe quid contingens Creaturæ, adeoque dicebam, quod exiſtentia, vt producta ſit quid contingens, quod etiam dico de eſſentia, quod, aliud non ſonat niſi quod productio ſit contingens, ceterum ſicuti Creaturæ non poteſt contingere eſſentia quæ producitur, eo quod eſt ipſamet Creatura, ita nec poteſt ipſi contingere exiſtentia, quæ producitur propter eandem rationem.

AR-

# ARGVMENTVM XXXX.

*Contra eos, qui opinantur eſsentiam, & exiſtentiam Creaturæ diſtingui realiter.*

DAtur aliqua Creatura, in qua eſſentia, & exiſtentia non diſtinguntur realiter, ergo in nulla Creatura eſſentia, & exiſtentia diſtinguntur realiter.

Conſequentia patet, quia non eſt maior ratio de vna, quam de alia Creatura, ergo ſi in vna eſſentia, & exiſtentia identificantur realiter, ſequitur quod in omni Creatura debeant realiter identificari; quare in homine v. g. eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia, & non in muſca? vel ergo hæc diſtinctio admittenda eſt in omnibus, vel in nullis.

Quod autem detur hæc Creatura in qua eſſentia, & exiſtentia

realiter identificentur;

Probatur, Omnis exiſtentia creata realiter diſtinguitur, ab eſſentia cuius eſt exiſtentia, ergo aliqua exiſtentia creata non diſtinguitur ab eſſentia cuius eſt exiſtentia. ant. eſt opinio quam impugno.

Prob. conſ. Omnis exiſtentia creata, vt pote realiter diſtincta ab eſſentia, eſt res, vel ſaltem modus dicens ſuam propriam quidditatem rei, vel modi v. g. exiſtentia hominis eſt res, vel modus dicens ſuam propriam quidditatem diſtinctam realiter à quidditate hominis; hæc res, vel modus, non habet ſuam exiſtentiam, diſtinctam à ſua eſſentia, ergo iam datur aliqua Creatura in qua eſſentia, & exiſtentia non diſtinguntur realiter.

Prob. conſeq. In homine v. g. habetur eſſentia hominis, & habetur eſſentia exiſtentiæ hominis, nam exiſtentia hominis eſt

ali-

aliquid, ergo dicit ſuam eſſentiam; Rurſus exiſtentia hominis eſt à parte rei, ergo dicit ſuam exiſtentiam, ſed eſſentia, & exiſtentia huius rei, vel huius modi quem vocamus (exiſtentia hominis) realiter non diſtinguntur, ergo datur aliquod ens creatum in quò eſſentia, & exiſtentia realiter non diſtinguntur.

Prob. min. Si eſſentia exiſtentiæ hominis realiter diſtingueretur à ſua propria exiſtentia, iam procederemus in infinitum, ergo ad hoc euitandum melius eſt dicere eſſentiam exiſtentiæ non diſtingui ab ipſa exiſtentia.

Prob. ſequela ant. Exiſtentia hominis eſt entitas realiter diſtincta ab eſſentia hominis; ſumo hanc entitatem, relinquendo eſſentiam hominis, & dico hæc entitas habet ſuam eſsentiam, & exiſtentiam realiter diſtinctas; relinquo eſſentiam, ſumo exiſtentiam, hæc habet etiam ſuam eſſen-

ſentiam realiter pariter diſtinctam ab exiſtentia, ſumo hanc aliam exiſtentiam, & ſemper inquiro, an habeat ſuam eſsentiam realiter diſtinctam à sè nec nè? Si concedis, ecce proceſsus in infinitum, quia exiſtentia quantumuis ſumatur, vt diſtincta ab eſſentia; ſemper eſt aliquid, ergo ſemper dicit aliam eſſentiam, à qua ſi eam præſcindas, inſurgo hæc exiſtentia, quam ſumis ſine ſua eſſentia, eſt aliquid, ergo præter illam eſſentiam à quà eam præſcindiſti, dicit aliud eſse alioquin eſset nihil; ſi verò negas habetur intentum, quod ſcilicet non omnis creatura dicat eſsentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia.

*Sol.*

**Solnitur.**

OMnis eſsentia creata per Thom. exiſtit per exiſtentiam realiter diſtinctam v. g. eſſentia hominis, non eſt per sè in actu, ſed per exiſtentiam, quæ (vt comunius ſantur Thomiſtæ) eſt modus realiter diſtinctus ab eſsentia hominis. Tota vis argumenti reducitur in hoc, an eſsentia (non quidem hominis) illius modi, qui vocatur exiſtentia realiter diſtinguatur ab ipſo modo, ſcilicet ab ipſa exiſtentia.

Reſpondeo negatiuè, & ratio eſt, quia exiſtentia non habet aliam eſsentiam modalem, niſi hoc quod eſt, eſse exiſtentiam; quæ nam ſunt prædicata eſsentialia exiſtentiæ? eſse actum per quem res ponitur extra cauſas; ergo quidditas propria modalis exiſtentiæ, non eſt aliud, niſi eſ-

ſe

ſe exiſtentiam; hoc enim ſonat illa definitio *exiſtentia eſt actus per quem res formaliter ponitur extra cauſas*; ergo eſſentia exiſtentiæ non poteſt realiter diſtingui ab ipſa exiſtentia, quia nihil poteſt diſtingui à ſe ipſo.

Inſurgis. Omnis eſſentia creata exiſtit per exiſtentiam ſuperadditam, ergo eſſentia exiſtentiæ exiſtit per exiſtentiam ſuperadditam.

Diſtinguo ant. Omnis eſſentia, quæ non eſt ratio formalis exiſtendi, exiſtit per exiſtentiam ſuperadditam Conc. ſecus, ſi ſit ratio formalis exiſtendi Neg.ant. omne Corpus album eſt tale per albedinem ſuperadditam, albedo ipſa alba eſt ſine aliquo ſuperaddito; quia eſt ratio formalis albificandi; ita quia eſsentia exiſtentiæ eſt ratio formalis exiſtendi, non debet exiſtere per exiſtentiam ſuperaddītam.

Ergo (clamas) iam datur ali-

qua

qua creatura in qua eſsentia, & exiſtentiam nō diſtinguntur realiter. Fateor quid inde infers? quare (petis) in hac non diſtinguntur; bene tamen in cæteris? quia hæc eſt ratio formalis exiſtendi, ita vt præter hanc nullam aliam dicat eſſentiam; cæteræ vero Creaturæ non ſunt rationes formales exiſtendi, vt de ſe patet, non enim homo v. g. definitur, quod ſit ratio formalis exiſtendi, bene tamen quod ſit animal rationale, ergo per aliquid aliud exiſtit; & hæc diſparitas, difficultatem prorſus eliminat.

AR-

# ARGVMENTVM XXXXI.

*Contra eos, qui tuentur ſubſiſtentiam creatam conſiſtere formaliter in negatiuo.*

OMnis negatio importat eſſentialiter ſubiectum negans, & formam negatam, ſed ſubſiſtentia creata, non importat ſubiectum negans, & formam negatam, ergo ſubſiſtentia creata non eſt formaliter negatio.

Prob. minor. Si ſubſiſtentia creata importaret eſſentialiter ſubiectum negans, & formam negatam, maximè ſubiectum hoc, eſſet Natura, & forma hæc negata eſſet alia ſubſiſtentia, ſed neq; Natura poteſt eſſe ſubiectum negans, neque alia ſubſiſtētia poteſt eſſe forma negata, ergo ſubſiſtentia creata non importat ſubiectum negans, & formam negatam.

Prob.

Prob. min. Natura v. g Petri, eſt indifferens, vt ſit in ſuppoſito Petri, vel in ſuppoſito Pauli, ergo ſubiectum negans non poteſt eſſe Natura. Rurſus ſubſiſtentia Pauli eſt pariter formaliter negatio, adhuc enim ipſa eſt ſubſiſtentia creata, ergo non poteſt eſſe forma negata per ſubſiſtentiam Petri.

Probatur prima conſeq. Quotieſcumque aliquod ſubiectum eſt indifferens ad duo, toties neutrum ipſorum negat; ſed natura Petri, formaliter conſiderata qua Natura, eſt indifferens, vt ſubſiſtat per hanc, vel per illam ſubſiſtentiam, præcipuè per Scotiſtas, quos impugno, ergo neutram ſubſiſtentiam negat.

Maior prob. A pari, Materia prima ſecundum sè conſiderata eſt indefferens ad omnes formas, hinc nullam ipſarum negat, ergo ſi Natura eſt indifferens ad hanc, vel illam ſubſiſtentiam neutram negat.

Nec

Nec valet reſpondere, naturam Petri negare ſubſiſtentiam Pauli, quatenus illam non habet; nam etiam materia prima deberet negare infinitas formas, quas non habet, quod eſt contra omnes philoſophos.

Præterquamquod, naturam Petri, non habere ſubſiſtentiam Pauli, prouenit ex eo quod Petrus non ſit Paulus, non verò ex eo quod natura Petri non ſit natura Pauli, quia per Scotiſtas, vna eſt natura formaliter à parte rei in omnibus indiuiduis, ſiue per inexiſtentiam, ſiue per indifferentiam, ab hoc præſcindo prò nunc, ergo non natura, ſed Petreitas fundaret hanc negationem eſſetque ſubiectum illius; quod ſi hoc concedatur.

Impugno. Petrus formaliter quà Petrus fundat hanc negationem, quam dicitis eſſe ſubſiſtentiam, ergo recipit effectum formalem huius negationis; aſſigne-

tur quæſo quid Petrus neget, per hoc quod fundet ſubſiſtentiam, quæ eſt formaliter negatio. Dicent forſitan, per hanc negationem Petrum non eſſe Paulum?

Contra; Petrum non eſſe Paulum, eſt effectus formalis diſtinctionis, etenim vnum diſtingui ab alio, eſt vnum non eſſe aliud, ergo non eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ.

Rurſus; quod eſt formaliter per sè tale, non indiget aliquo alio, vt fiat tale, ſed Petrus per ſe formaliter non eſt Paulus, ergo, vt non traſcurrat ad eſse Pauli, non indiget ſubſiſtentia.

Prob. mi. Per Scotiſtas, Petreitas eſt principium limitans, & indiuiduans naturam Petri, vt non tranſcurrat ad naturam Pauli, ergo ipſa Petreitas ex ſe formaliter eſt talis, ſcilicet Petreitas, & non Pauleitas; ex ſe formaliter habet hoc, quod eſt non tranſcurrere ad eſse Pauleitatis;

ſi enim

ſi enim Petreitas dat naturæ hanc negationem tranſcurſus in genere cauſæ formalis metaphiſicæ, euigenter ſequitur ipſam per ſe formaliter continere huiuſmodi negationem tranſcurſus; cauſa enim formalis, quod formaliter præſtat, formaliter continet.

Quod, neque ſit aſſignabilis forma negata per ſubſiſtentiam, quæ erat alia pars argumenti.

Probatur; Quia quælibet ſubſiſtentia creata per hos Authores eſt formaliter negatio, quid ergo natura Petri per ſuam ſubſiſtentiam negat? forſitan ſubſiſtentiam Pauli? ergo ſubſiſtentia Petri eſt negatio ſubſiſtentiæ Pauli, ergo eſt negatio negationis, proindeque eſt forma poſitiua, vel non eſt aſſignabilis hæc forma negata.

Dicent; Natura Petri per ſuam ſubſiſtentiam, negat dependere tum in actu, tum in potentia à ſubſiſtentia Pauli.

Contra. Natura Petri per hoc præcisè, quod natura ſubſtantialis ſit, dicit illam, duplicem negationem dependentiæ actualis, & aptitudinalis à ſubſiſtentia Pauli, ergo natura Petri non habet à ſua ſubſiſtentia illam duplicem negationem.

Prob. ant. Natura ſubſtantialis, præcisè per hoc, quod ſit ſubſtantialis habet hoc quod eſt non dependere, neque poſſe dependere a pura negatione, ſed ſubſiſtentia Pauli per Scotiſtas, eſt pura negatio, ergo natura ſubſtantialis Petri præcisè per hoc, quod ſit ſubſtantialis, à ſubſiſtentia Pauli non dependet, nec poteſt dependere.

Per hanc, ergo duplicem negationem, ſeù per hanc negationem duplicis dependentiæ, non capio quidditatem ſubſiſtentiæ.

Videamus, an melius explicari poſſit per alias opiniones.

AR-

# ARGVMENTVM XXXXII.

*Contra eos, qui opinantur ſubſiſtentiam, eſſe rem, vel modum complentem Naturam ſubſtantialem in ratione eſſendi in ſe, & per ſe.*

NAtura ſubſtantialis v.g. Angeli, præciſa quacunque ſubſiſtentia ſuperaddita eſt completa in ratione eſſendi in ſe, & per ſe, ergo non bene explicatur quidditas ſubſiſtentiæ, dicendo quod ſit forma completiua ſubſtantiæ in ratione eſſendi in ſe, & per ſe.

Pr.an. Natura Angeli, ſi ſpoliaretur diuinitus qualibet ſubſiſtentia, eſſet in ſe, & per ſe, ergo, &c.

Prob. ant. Non eſſet in alio, ergo eſſet in ſe. Rurſus eſſet adhuc ſubſtantia, ergo eſſet per ſe. Conſequenter eſſet completa in ra-

ratione eſſendi in ſe, & per ſe.

*Si Dices*, quod licet non eſſet in alio tanquam in ſubiecto, eſſet tamen in alio tanquam in ſuppoſito.

Contra eſt. Non eſset in alio, neque tanquam in ſuppoſito, ergo nulla diſtinctio.

Prob. ant. Non eſset ſubſiſtens per alienam ſubſiſtentiam, ergo non eſset in alio, neque tanquam in ſuppoſito. ant. patet quia ſuppono illam naturam ſpoliatam omni ſubſiſtentia, quod diuinitus poſse ſuccedere, nulla ratio prohibet.

Si Dices, quod licet illa natura actu non eſset in alio, nihilominus exigeret, eſse in alio.

Contra eſt primo, quia hoc gratis aſſertur. Secundo, quia illa natura exigeret ſubſiſtentiam propriam, ergo non poſset exigere alienam.

Prob. ant. Quia quotieſcumque reſpectu alicuius ſubiecti duæ

for-

formæ, ità ſe habent, vt vna ſit propria, & alia ſit aliena, toties connaturalius eſt dicere ſubiectum illud exigere formam propriam, quam alienam; ſed illa natura eſset ſpoliata tum ſubſiſtentia propria, tum aliena, ergo cõnaturalius exigeret propriam, quam alienam, ergo nec eſset, nec exigeret eſse in alio.

Si dicas, quod illa natura eſset in ſe tantum radicaliter non verò actualiter, quatenus non haberet id per quod eſset actu in ſe, licet illud exigeret.

Contra eſt, quia actu non eſſet in alio, vt nuper oſtendi, ergo actu eſset in ſe.

Si dicas, quod eſse in alio, & eſse in ſe, non ſunt contradictoria, ac proinde poſse ab illis præſcindi, ſicque illa natura neque actu eſset in ſè, neque actu eſset in alio.

Contra eſt, quia licet eſse in alio, & eſse in ſe, non ſunt con-

tradictoria formaliter, ſicuti eſſent eſse, & non eſſe in ſe, & eſſe, & non eſſe in alio, nihilominus ſunt contradictoria æquiualenter, quia vnum ſecum trahit eſsentialiter negationem alterius, ſicuti Animal rationale, Animal rugibile, latrabile, &c. non ſunt formaliter contradictoria, omnia enim quid poſitiuum exprimunt, nihilominus ſunt contradictoria æquiualenter, quia rationale trahit eſsentialiter negationem rugibilis, & è contra. Pergo, ſed non poteſt Animal à parte rei præſcindi ab omnibus differentijs, ita ut detur aliquod Animal, quod neque ſit rationale, neque rugibile, &c. licet iſtæ differentiæ non ſint niſi tantum æquiualenter contradictoriæ, ergo non poteſt aliqua natura ſubſtantialis exiſtere à parte rei præciſa ab eſſe in ſe, & ab eſse in alia, licet iſtæ duæ differentiæ non ſint formaliter, ſed tantum æquiualenter

ter

ter contradictoriæ.

Si dicas vltimo; Eſſe in ſe, & eſſe in alio, neque æquiualenter contradici, eo quod vnum non trahat eſſentialiter negationem alterius opinaberis enim poſſe eandem naturam diuinitus eſſe in ſe, & in alio, ſubſiſtens per duplicem ſubſiſtentiam, propriam ſcilicet, & alienam, eo modo quo (addunt Baconiſtæ) ſi lapis replicaretur exiſteret in alio, & in proprio loco, puta in aere, & in centro, abſque vlla contradictione;

Contra eſt, quia idem poſſem Ego dicere de rationali, & rugibili, ea nimirum neque æquiualenter contradici, & dicerem poſſe idem Animal eſſe rationale, & rugibile ſimul, & quod vnum non dicat eſſentialiter negationem alterius; quomodo me conuinces?

Secundo. Argumentor, ideo rationale, & rugibile ſaltem virtualiter, vel (quod idem eſt) æqui-

ualenter contradicuntur, quia iſta propoſitio (*Animal eſt rationale*) æquiualet huic (*Animal non eſt rugibile*) vna enim immediatè infertur ex alia, ſed etiam hæc propoſitio (*natura eſt in ſe*) æquiualet huic (*natura non eſt in alio*) vna enim pariter immediatè infertur ex alia, ergo vtrobique par ratio.

Ad exemplum, quod apud noſtrum Orlandum adducit noſter Bacconius, dò maximam diſparitatem, etenim lapis ſecundum duas præſentias eſſet in aere, & in centro, quæ duplicitas præſentiarum ſaluaret contradictionem illam æquiualentem, ſcilicet eſſe in proprio loco, & in alieno loco, quæ ſequeretur ſine ipſa; at in caſu noſtro eadem Natura, ſecundum eandem rationem naturæ ſubſtantialis eſſet in ſe, & eſſet in alio, proindeque non ſaluaretur contradictio.

Inſtas. Prout haberet pro-

priam

priam ſubſiſtentiam eſſet in ſe, prout haberet alienam, eſſet in alio, ergo diuerſus reſpectus haberetur, proindeque ſaluaretur contradictio.

Contra. Quia habere propriam ſubſiſtentiam, & eſſe in ſe, eſt omninò idem; ſicuti etiam prorſus idem eſt, habere ſubſiſtentiam alienam, ac eſſe in alio; igitur quando dicis, prout haberet propriam ſubſiſtentiam eſſet in ſe, dicis, prout eſſet in ſe, eſſet in ſe, prout eſſet in alio, eſſet in alio. Mira ſpeculatio. Ergo idem animal poteſt eſſe rationale, & rugibile, quia prout eſſet homo eſſet rationale, prout eſſet leo eſſet rugibile, ſicque per diuerſum reſpectum ſaluaretur contradictio; ſi hoc tu admittes, omnia contradictoria erunt per tè à parte rei poſſibilia.

*Neque per hanc ſentiam capio quidditatem ſubſiſtentiæ.*

# ARGVMENTVM XXXXIII.

*Contra eos, qui opinantur ſubſiſtentiam eſſe formam per quam redditur Natura incomunicabilis alteri, vt ſuppoſito.*

NAtura Diuina, etiam ſub conceptu formali naturæ Diuinæ in probabiliori ſententia ſubſiſtit per ſubſiſtentiam abſolutam, nec per hoc redditur incomunicabilis alteri ſuppoſito, ergo malè explicatur conceptus formalis ſubſiſtentiæ, per hoc quod ſit ratio reddens naturam alteri ſuppoſito incomunicabilem.

Prima pars ante: Supponitur; Secunda eſt dè fide, quia natura Diuina etiam ſubſiſtens per ſubſiſtentiam abſolutam comunicatur realiter Filio, & Spiritui ſanɑo,

ita

itaut etiam ſubſiſtentia abſoluta comunicetur, ſi ergo ſubſiſtentia comunicatur, & comunicationem actualem naturæ Diuinæ non impedit, infertur rationem formalem ſubſiſtentiæ non conſiſtere in eo, quod eſt reddere naturam incomunicabilem.

Reſpondebis primo, quod reddere naturam incomunicabilem, non eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſed perſonalis, vel relatiuæ.

Contra. Da mihi rationem formalem ſubſiſtentiæ, vt ſic, præſcindendo ab abſoluta, & perſonali; quodcumque dixeris, vel impugnatum eſt, vel impugnabitur.

**Vlterius. Per tè ſubſiſtentia lapidis v. g. reddit naturam lapidis incomunicabilem alteri ſuppoſito, & tamen non eſt perſonalis, quia lapis non eſt perſona, ſed eſt abſoluta, quia lapis ipſe quid abſolutum eſt, vnde iam**

in-

inuenio aliquam ſubſiſtentiam, quæ eſt abſoluta, ſiue ly abſoluta ſumatur vt contradiſtincta à perſonali, ſiue vt contradiſtincta à relatiua, & tamen reddit naturam incomunicabilem, ergo malè limitas hanc incomunicabilitatem ad ſolam ſubſiſtentiam perſonalem, vel relatiuam.

Reſpondebis ſecundo, reddere naturam incomunicabilem eſſe effectum formalem ſubſiſtentiæ ſuppoſitalis, & cum ſubſiſtentia abſoluta Dei non ſit ſuppoſitalis, ideò non habet reddere naturam incomunicabilem.

Contra. Subſiſtentia Patris æterni, eſt ſuppoſitalis, Perſonalis, relatiua; vis aliud? & tamen non reddit naturam Diuinam incomunicabilem alteri ſuppoſito, quia Pater æternus comunicat ſuam propriam naturam filio, & ſimul cum filio comunicat illam Spiritui ſancto, ergo neque ſubſiſtentia, perſonalis, ſuppoſitalis,

lis, relatiua, habet reddere naturam incomunicabilem.

Dices; quod natura Patris prout Patris non comunicatur Filio, ſed natura quà Diuina à Patre comunicatur Filio.

Contra. Natura Patris, prout Patris, non eſt aliud niſi Pater, ergo tantum dicis, quod Pater non comunicetur Filio formaliter quà Pater, & hoc non eſt ad rem, nam ſufficit mihi, quod comunicetur natura, quæ eſt in Patre, vt euincam, ſubſiſtentiam relatiuam Patris non reddere naturam alteri ſuppoſito incomunicabilem.

***Neque per hanc ſententiam capio quidditatem ſubſiſtentiæ.***

AR-

# ARGVMENTVM XXXXIV.

*Contra eos, qui opinantur ſubſiſtentiam, eſſe complementum Naturæ ſubſtantialis.*

VEl ſubſiſtentia complet naturam ſubſtantialem, vt prima, vel vt vltima actualitas ipſius, neutrum dici poteſt, ergo ſubſiſtentia non eſt complementum naturæ ſubſtantialis.

Prima pars minoris, quæ eſt contra Thom. probatur. Subſiſtentia ſupponit exiſtentiam, ergo non poteſt complere naturam ſubſtantialem, vt prima actualitas eiuſdem.

Prob. ant. Subſiſtentia complet naturam extra cauſas, ergo complet naturam iam exiſtentem, ergo ſupponit exiſtentiam.

Ant.

Ant. patet, quia ſubſiſtentia actualis ( de qua loquitur) non poteſt perficere naturam poſſibilem, ergo ſi perficit, perficit naturam in actu, quæ ſcilicet, ſit extra cauſas, proindeque exiſtentem, ergo ſupponit exiſtentiam.

Prob. hæc conſ. quia ſubſiſtentia perficit naturam exiſtentem, ergo quando aduenit, vel intelligitur aduenire naturæ, hæc natura debet eſſe, vel intelligi prius exiſtens, alioquin adueniret naturæ nondum exiſtenti, ac proinde perficeret naturam poſſibilem, quod eſt in intelligibile. Intelligo Ego, quod exiſtentia aduenіat naturæ nondum exiſtenti, quia per ipſam exiſtentiam res fit formaliter exiſtens, at quia natura non fit formaliter exiſtens per ſubſiſtentiam, ſequitur euidenter, vel quod perficiat naturam poſſibilem, quod eſt contra captum rationis, vel quod perficiat naturam in aliquo, priori exiſten-

ſtentem, & ſic non erit prima actualitas, ſed potius vltima reſpectu naturæ ſubſtantialis.

Alia pars minoris, quæ eſt communior, ſcilicet ſubſiſtentiam perficere naturam, vt vltima actualitas ipſius, facilius impugnatur ex dictis; Nam hoc complementum, quod naturæ ſubſiſtentia præſtat, eſt penitus inexplicabile, nam, vel ipſa perficit naturam reddendo ipſam independentem actualiter, & aptitudinaliter ab alio ſuppoſito, vel perficit in genere eſſendi in ſe, & per ſe, vel in genere incomunicabilitatis, omnia hæc iam impugnata ſunt, ergo adhuc latet, quid ſubſientia ſit.

*Melius puto dicendum cum Arriaga mè prorſus neſcire rationem formalem ſubſiſtentiæ; quid dicant Alij non me latet, quid vere dicendum ſit vtinam aliquis eſſet, qui me doceret.*

AR.

# ARGVMENTVM XXXXV.

*Contra eos, qui opinantur, Poſſibile ab æterno eſſe nihil in ſe ipſo, & tantum eſſe aliquid in Cauſa.*

QVando dicimus, Deus poteſt producere alium Mundum, non dicimus Deus poteſt producere nihil, ergo alius Mundus non eſt nihil.

Ant. patet, quia nihil non eſt producibile, alius Mundus eſt producibil s, ergo quando dicimus, Deus poteſt producere alium Mundum, non dicimus Deus poteſt producere nihil.

Vlterius, producere nihil eſt non producere, ergo quando dicimus Deus poteſt producere nihil, dicimus Deus non poteſt producere, vel dicimus Deus poteſt

non

non producere, at quando dicimus, Deus poteſt producere alium Mundum, non dicimus, Deus non poteſt producere, vel Deus poteſt non producere, ergo nihil, & alius Mundus diſtinguntur, ſed quod diſtinguitur à nihilo, eſt aliquid, ergo alius Mundus eſt aliquid.

Dices, alium Mundum eſſe nihil de præſenti, aliquid tamen in potentia.

Contra. Hæc propoſitio eſt vera, alius Mundus nunc eſt producibilis; hæc alia eſt etiam vera, nihil, nunc non eſt producibile; ergo tò producibile, nunc verificatur de alio mundo, nunc non verificatur de nihilo, ergo alius mundus, & nihil, nunc diſtinguntur, ſed quod nunc diſtinguitur à nihilo, nunc eſt aliquid, ergo alius mundus neque de præſenti, ſcilicet nunc eſt nihil.

Dices, ad hoc ſufficere ſi alius mundus habeat eſſe eminenter in

Cauſa, non autem requiri ipſum habere eſſe in ſe.

Contra. Alius mundus, prout habet eſſe eminenter in Deo, qui poteſt ipſum cauſare, vel diſtinguitur à Deo, vel eſt ipſe Deus; ſi primum ergo habet eſſe in ſe ipſo, quia quod non eſt Deus, & eſt aliquid, vtique eſt aliquid in ſe; ſi ſecundum, ergo quando dico, Deus poteſt alium mundum, producere dico Deus poteſt producere ſeipſum, quo nihil falſiùs.

*Soluitur.*

ALius mundus in ſe, eſt nihil, hoc eſt idem, ac dicere, alius mundus nunc non eſt, licet poſſit eſſe; quid ergo eſt, alium mundum eſſe producibilẽ à Deo? nihil aliud, niſi quod Deus habeat potentiam producendi, id quod non eſt, dummodo non repugnet eſſe. Ad hoc verificandum non requiritur, quod nunc

allus

# ARGVMENTVM XXXXIII.

*Contra eos, qui opinantur ſubſiſtentiam eſſe formam per quam redditur Natura incomunicabilis alteri, vt ſuppoſito.*

NAtura Diuina, etiam ſub conceptu formali naturæ Diuinæ in probabiliori ſententia ſubſiſtit per ſubſiſtentiam abſolutam, nec per hoc redditur incomunicabilis alteri ſuppoſito, ergo malè explicatur conceptus formalis ſubſiſtentiæ, per hoc quod ſit ratio reddens naturam alteri ſuppoſito incomunicabilem.

Prima pars ante: Supponitur; Secunda eſt dè fide, quia natura Diuina etiam ſubſiſtens per ſubſiſtentiam abſolutam comunicatur realiter Filio, & Spiritui ſancto, ita

itaut etiam ſubſiſtentia abſoluta comunicetur, ſi ergo ſubſiſtentia comunicatur, & comunicationem actualem naturæ Diuinæ non impedit, infertur rationem formalem ſubſiſtentiæ non conſiſtere in eo, quod eſt reddere naturam incomunicabilem.

Reſpondebis primo, quod reddere naturam incomunicabilem, non eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ abſolutæ, ſed perſonalis, vel relatiuæ.

Contra. Da mihi rationem formalem ſubſiſtentiæ, vt ſic, præſcindendo ab abſoluta, & perſonali; quodcumque dixeris, vel impugnatum eſt, vel impugnabitur.

Vlterius. Per tè ſubſiſtentia lapidis v. g. reddit naturam lapidis incomunicabilem alteri ſuppoſito, & tamen non eſt perſonalis, quia lapis non eſt perſona, ſed eſt abſoluta, quia lapis ipſe quid abſolutum eſt, vnde iam

in-

inuenio aliquam ſubſiſtentiam, quæ eſt abſoluta, ſiue ly abſoluta ſumatur vt contradiſtincta à perſonali, ſiue vt contradiſtincta à relatiua, & tamen reddit naturam incomunicabilem, ergo malè limitas hanc incomunicabilitatem ad ſolam ſubſiſtentiam perſonalem, vel relatiuam.

Reſpondebis ſecundo, reddere naturam incomunicabilem eſſe effectum formalem ſubſiſtentiæ ſuppoſitalis, & cum ſubſiſtentia abſoluta Dei non ſit ſuppoſitalis, ideò non habet reddere naturam incomunicabilem.

Contra. Subſiſtentia Patris æterni, eſt ſuppoſitalis, Perſonalis, relatiua; vis aliud? & tamen non reddit naturam Diuinam incomunicabilem alteri ſuppoſito, quia Pater æternus comunicat ſuam propriam naturam filio, & ſimul cum filio comunicat illam Spiritui ſancto, ergo neque ſubſiſtentia, perſonalis, ſuppoſitalis,

lis, relatiua, habet reddere naturam incomunicabilem.

Dices; quod natura Patris prout Patris non comunicatur Filio, ſed natura quà Diuina à Patre comunicatur Filio.

Contra. Natura Patris, prout Patris, non eſt aliud niſi Pater, ergo tantum dicis, quod Pater non comunicetur Filio formaliter quà Pater, & hoc non eſt ad rem, nam ſufficit mihi, quod comunicetur natura, quæ eſt in Patre, vt euincam, ſubſiſtentiam relatiuam Patris non reddere naturam alteri ſuppoſito incomunicabilem.

*Neque per hanc ſententiam capio quidditatem ſubſiſtentiæ.*

AR-

# ARGVMENTVM XXXXIV.

*Contra eos, qui opinantur ſubſiſtentiam, eſſe complementum Naturæ ſubſtantialis.*

VEl ſubſiſtentia complet naturam ſubſtantialem, vt prima, vel vt vltima actualitas ipſius, neutrum dici poteſt, ergo ſubſiſtentia non eſt complementum naturæ ſubſtantialis.

Prima pars minoris, quæ eſt contra Thom. probatur. Subſiſtentia ſupponit exiſtentiam, ergo non poteſt complere naturam ſubſtantialem, vt prima actualitas eiuſdem.

Prob. ant. Subſiſtentia complet naturam extra cauſas, ergo complet naturam iam exiſtentem, ergo ſupponit exiſtentiam.

Ant.

Ant. patet, quia ſubſiſtentia actualis (de qua loquitur) non poteſt perficere naturam poſſibilem, ergo ſi perficit, perficit naturam in actu, quæ ſcilicet, ſit extra cauſas, proindeque exiſtentem, ergo ſupponit exiſtentiam.

Prob. hæc conſ. quia ſubſiſtentia perficit naturam exiſtentem, ergo quando aduenit, vel intelligitur aduenire naturæ, hæc natura debet eſſe, vel intelligi prius exiſtens, alioquin adueniret naturæ nondum exiſtenti, ac proinde perficeret naturam poſſibilem, quod eſt inintelligibile. Intelligo Ego, quod exiſtentia adueniat naturæ nondum exiſtenti, quia per ipſam exiſtentiam res fit formaliter exiſtens, at quia natura non fit formaliter exiſtens per ſubſiſtentiam, ſequitur euidenter, vel quod perficiat naturam poſſibilem, quod eſt contra captum rationis, vel quod perficiat naturam in aliquo, priori exiſten-

ſtentem, & ſic non erit prima actualitas, ſed potius vltima reſpectu naturæ ſubſtantialis.

Alia pars minoris, quæ eſt comunior, ſcilicet ſubſiſtentiam perficere naturam, vt vltima actualitas ipſius, facilius impugnatur ex dictis; Nam hoc complementum, quod naturæ ſubſiſtentia præſtat, eſt penitus inexplicabile, nam, vel ipſa perficit naturam reddendo ipſam independentem actualiter, & aptitudinaliter ab alio ſuppoſito, vel perficit in genere eſſendi in ſe, & per ſe, vel in genere incomunicabilitatis, omnia hæc iam impugnata ſunt, ergo adhuc latet, quid ſubſientia ſit.

*Melius puto dicendum cum Arriaga mè prorſus neſcire rationem formalem ſubſiſtentiæ; quid dicant Alij non me latet, quid vere dicendum ſit vtinam aliquis eſſet, qui me doceret.*

# ARGVMENTVM XXXXV.

*Contra eos, qui opinantur, Poſſibile ab æterno eſſe nihil in ſe ipſo, & tantum eſſe aliquid in Cauſa.*

QVando dicimus, Deus poteſt producere alium Mundum, non dicimus Deus poteſt producere nihil, ergo alius Mundus non eſt nihil.

Ant. patet, quia nihil non eſt producibile, alius Mundus eſt producibil s, ergo quando dicimus, Deus poteſt producere alium Mundum, non dicimus Deus poteſt producere nihil.

Vlterius, producere nihil eſt non producere, ergo quando dicimus Deus poteſt producere nihil, dicimus Deus non poteſt producere, vel dicimus Deus poteſt non

non producere, at quando dicimus, Deus poteſt producere alium Mundum, non dicimus, Deus non poteſt producere, vel Deus poteſt non producere, ergo nihil, & alius Mundus diſtinguuntur, ſed quod diſtinguitur à nihilo, eſt aliquid, ergo alius Mundus eſt aliquid.

Dices, alium Mundum eſſe nihil de præſenti, aliquid tamen in potentia.

Contra. Hæc propoſitio eſt vera, alius Mundus nunc eſt producibilis; hæc alia eſt etiam vera, nihil, nunc non eſt producibile; ergo tò producibile, nunc verificatur de alio mundo, nunc non verificatur de nihilo, ergo alius mundus, & nihil, nunc diſtinguuntur, ſed quod nunc diſtinguitur à nihilo, nunc eſt aliquid, ergo alius mundus neque de præſenti, ſcilicet nunc eſt nihil.

Dices, ad hoc ſufficere ſi alius mundus habeat eſſe eminenter in

Cauſa

Cauſa, non autem requiri ipſum habere eſſe in ſe.

Contra. Alius mundus, prout habet eſſe eminenter in Deo, qui poteſt ipſum cauſare, vel diſtinguitur à Deo, vel eſt ipſe Deus, ſi primum ergo habet eſſe in ſe ipſo, quia quod non eſt Deus, & eſt aliquid, vtique eſt aliquid in ſe; ſi ſecundum, ergo quando dico, Deus poteſt alium mundum, producere dico Deus poteſt producere ſeipſum, quo nihil falſiùs.

*Soluitur.*

ALius mundus in ſe, eſt nihil, hoc eſt idem, ac dicere, alius mundus nunc non eſt, licet poſſit eſſe; quid ergo eſt, alium mundum eſſe producibilẽ à Deo? nihil aliud, niſi quod Deus habeat potentiam producendi, id quod non eſt, dummodo non repugnet eſſe. Ad hoc verificandum non requiritur, quod nunc

allus

alius mundus ſit aliquid, ſed ſufficit, quod poſſit eſſe aliquid: itaque quando dicimus Deus poteſt producere alium mundum, vtique non dicimus, quod Deus poſſit producere nihil, ſi prò tò nihil, intelligatur, id quod non eſt, nec poteſt eſſe, ſed dicimus quod Deus poſſit producere mundum, qui de facto non habet eſſe, & poteſt habere eſſe; ſed quod non eſt. & poteſt eſſe, non eſt aliquid, ſed poteſt eſſe aliquid, ergo alius mundus nunc in ſe non eſt aliquid ſed poteſt eſſe aliquid.

Oh, nihil non eſt producibile, alius mundus eſt producibilis, ergo alius mundus non eſt nihil.

Quinimò per hoc, quod alius mundus ſit producibilis, nunc nihil eſt, nam ſi nunc aliquid eſſet, non eſſet producibilis, ſed productus. Directè; nihil non eſt producibile: diſtinguo, nihil de præſenti, & aliquid in potentia, non eſt producibile Nego; nihil,

tum

tum de præſenti, tum in potentia non eſt producibile Concedo. Alius mundus eſt producibilis. Fateor. Ergo non eſt nihil; diſtinguo non eſt nihil de præſenti Nego, non eſt nihil, tum de præſenti tum de poſſibili Conc. conſ. Æquiuocatio poteſt eſſe in ly *nihil*, nam multoties idem ſonat, ac chymera, in quò ſenſu, neq; Thomiſta dicet alium mundum eſſe nihil in ſe; multoties idem ſonat ac id quod non habet eſſe, & in hoc ſenſu, quis dicet alium mundum nunc in ſe non eſſe nihil? nonnè verum eſt, quod alius mundus nunc non habeat eſse?

Alius mundus, nunc eſt producibilis, ergo nunc diſtinguitur à nihilo quia nihil nunc non eſt producibile.

Eodem modo Conc. quod alius mundus nunc ſit producibilis, quid infers? ergo nunc diſtinguitur à nihilo; à nihilo vniuerſaliſſimo, tum de præſenti tum de

poſ-

alius mundus ſit aliquid, ſed ſufficit, quod poſſit eſſe aliquid: itaque quando dicimus Deus poteſt producere alium mundum, vtique non dicimus, quod Deus poſſit producere nihil, ſi prò tò nihil, intelligatur, id quod non eſt, nec poteſt eſſe, ſed dicimus quod Deus poſſit producere mundum, qui de facto non habet eſſe, & poteſt habere eſſe; ſed quod non eſt. & poteſt eſſe, non eſt aliquid, ſed poteſt eſſe aliquid, ergo alius mundus nunc in ſe non eſt aliquid ſed poteſt eſſe aliquid.

Oh, nihil non eſt producibile, alius mundus eſt producibilis, ergo alius mundus non eſt nihil.

Quinimò per hoc, quod alius mundus ſit producibilis, nunc nihil eſt, nam ſi nunc aliquid eſſet, non eſſet producibilis, ſed productus. Directè; nihil non eſt producibile: diſtinguo, nihil de præſenti, & aliquid in potentia, non eſt producibile Nego; nihil, tum

tum de præſenti, tum in potentia non eſt producibile Concedo. Alius mundus eſt producibilis. Fateor. Ergo non eſt nihil; diſtinguo non eſt nihil de præſenti Nego, non eſt nihil, tum de præſenti tum de poſſibili Conc. conſ. Æquiuocatio poteſt eſſe in ly *nihil*, nam multoties idem ſonat, ac chymera, in quò ſenſu, neq; Thomiſta dicet alium mundum eſſe nihil in ſe; multoties idem ſonat ac id quod non habet eſſe, & in hoc ſenſu, quis dicet alium mundum nunc in ſe non eſſe nihil? nonnè verum eſt, quod alius mundus nunc non habeat eſse?

Alius mundus, nunc eſt producibilis, ergo nunc diſtinguitur à nihilo quia nihil nunc non eſt producibile.

Eodem modo Conc. quod alius mundus nunc ſit producibilis, quid infers? ergo nunc diſtinguitur à nihilo; à nihilo vniuerſaliſſimo, tum de præſenti tum de

poſ-

poſſibili Conc. à nihilo tantum de præſenti Nego; Ergo (clamas) ſi nunc diſtinguitur à nihilo, nunc habet eſse, nunc eſt aliquid. Nego Conſ. quia nunc non diſtinguitur à nihilo de præſenti (eſt enim nihil de præſenti) ſed tantum diſtinguitur à nihilo vniuerſaliſſimo, ad quam diſtinctionem non requitur, vt habeat eſſe, ſed ſufficit ſi poſſit habere eſse.

A R-

# ARGVMENTVM XXXXVI.

*Contra eos, qui opinantur, Poſſibile ab æterno eſſe aliquid in ſe.*

EST inexplicabile hoc eſſe, quod conceditur poſſibili, ergo poſſibile non habet eſſe.

Prob. ant. Hoc eſſe, deberet eſse entitas rei poſſibilis, ſed entitas rei poſſibilis, eſt poſſe eſſe connotans non eſſe de præſenti, ergo eſſe rei poſſibilis non eſt, licet poſſit eſse, proindeque inexplicabile eſt, hoc eſse de præſenti rei poſſibilis.

Dices; ex eo quod Poſſibile de facto non ſit, & poſſit eſse, non ſequitur ipſum ſimpliciter, non habere eſſe, ſed tantum ſequitur non habere eſse actuale, non autem non habere ſaltem eſſe poſſibile.

Contra, nam hoc eſt quod inquiro, quid ſcilicet ſit, alium mundum nunc habere eſse poſſibile; quodnam eſt hoc eſſe poſſibile? nonne eſse poſſibile, eſt idem ac poſse eſse, connotans non eſse de præſenti? ita planè, nec aliud ſignificatur per hunc terminum (*Poſſibile*) ergo ſi totum eſse poſſibilis, eſt poſse eſse, & non eſse, clare ſequitur Poſſibile in ſe non aliquid eſse ſed nihil.

Dices, eſse rei poſſibilis, eſt cohærentia prædicatorum eſsentialium, quam non habet nihil.

Benè. Per hoc, quod prædicata eſsentialia rei poſſibilis cohæreant, ſequitur nè quod hæc prædicata ſint de facto exiſtentia a parte rei? hoc vtique non dices, ergo non per hoc quod prædicata rei poſſibilis cohæreant inter ſe ſequitur rem poſſibilem de facto eſse aliquid à parte rei.

Dices. Poſſibile non eſt aliquid

quid exiſtens, nec actuale; hoc concedo, ſed eſt aliquid poſſibile, aliquid in potentia, aliquid potens eſse.

Contra. Quia vnis terminos incompoſſibiles, dicis enim Poſſibile, *eſt* aliquid *potens eſſe*. Si *eſt* ergo non dicit ſolum *poſſe eſſe*, ſed vlterius dicet eſse d ſt actum a poſse eſse, proindeque actuale, quod etiam tu negas. Si autem poſsibile dicit tantum *poſſe eſſe*, ergo non *eſt* de facto, ſed eſt purum nihil, licet non ſit chymera.

Dices ly *eſt* non ſignat exiſtentiam, ſed eſsentiam, adeoque, quando dico Poſſibile eſt id, quod habet cohærentiam prædicatorum eſsentialium, non ſignifico per ly *eſt*, quod Poſſibile exiſtat, ſed tantum, quod eſsentia eius ſit illa cohærentia &c.

Contra. Quia idem eſt, habere eſse a parte rei, ac exiſtere vt patet ex terminis, ergo ſi per ly *eſt* non vis, vt poſſibile exiſtat, im-

plicitè neque vis vt ipſum habeat eſse à parte rei, quia habere eſse à parte rei, & non exiſtere, eſt implicantia in terminis. Tù præmis ſuper illam cohærentiam prædicatorum eſsentialium, quæ tibi videtur eſse aliquid; dic quæſo confidenter, nonnè per te idem ſonant, prædicata eſsentialia cohærere, ac prædicata eſsentialia non repugnare? ità ſane. Non repugnantia, prædicatorum eſſentialium eſt nè aliquid à parte rei: quid eſt? & vbi eſt? profectò, non aliud mihi videtur hæc non repugnantia, niſi potentia ad eſse non verò aliquod eſse de facto à parte rei.

*Soluitur.*

HÆc Quæſtio mihi videtur præciſè in modo loquendi. Omnes enim Philoſophi, in hoc conueniunt, quod ſcilicet Mundus poſsibilis, non ſit aliquid de

facto

facto à parte rei exiſtens, & quod non habeat eſse actuale quidquid dicant aliqui de Albertini ſententia (quam fortaſſis multi impugnant, & non intelligunt) Rurſus omnes Philoſophi conueniunt in hoc quod Mundus poſſibilis, non ſit nihil vniuerſaliſſimè ſumptum, quod quidem, cum conuertatur, cum chymera, & cum impoſſibili, euidens eſt non poſse conuenire poſſibili; itaque in hoc quod eſt de re coincidunt omnes, an autem per hoc, quod Poſſibile non ſit nihil vniuerſaliſſimum debeat vocari ens de facto, an autem ſolum ens de poſſibili, in hoc eſt lis de nomine, & de modo loquendi; mihi magis placet opinio dicentium Poſſibile non eſse aliud, niſi ipſum Deum potentem producere, id quod cum non implicet, poteſt produci, & licet in hoc modo loquendi videatur includi aliquid ex parte ipſius Poſſibilis, tamen hoc pro-

uenit, ex eo, quod nequeamus alio modo loqui, non quia verè Poſſibile ſit aliquid in ſe, & à parte rei.

# ARGVMENTVM XXXXVII.

*Contra eos, qui opinantur, dari à parte rei entia negatiua, & priuatiua.*

NEgationem, vel Priuationem dari à parte rei, eſt implicantia in adiecto, ergo, &c.

Prob. ant. Negationem dari à parte rei, idem eſt, ac nihil dari à parte rei, ſed nihil dari, vel eſſe à parte rei, eſt implicantia in adiecto, ergo Negationem, vel Priuationem dari à parte rei, eſt implicantia in adiecto.

Prob. maior. Negationem dari à parte rei importat formaliſſi-

liſſimè eſſentiam Negationis da-ri à parte rei, ſed eſſentiam negationis dari à parte rei, idem eſt ac nihil dari à parte rei, ergo negationem dari à parte rei, idem eſt, ac nihil dari à parte rei.

Prob. min. Eſſentia negationis, eſt non eſſe formæ in ſubiecto inepto, ſed non eſse formæ, eſt nihil formæ, ergo quando dicis à parte rei, dari eſsentiam Negationis, dicis dari à parte rei nihil.

Prob. min. Non eſse ſimpliciter, eſt nihil ſimpliciter, ergo non eſse formæ, eſt nihil formæ; proindeque, qui aſserit dari à parte rei in lapide v.g. negationem viſus, aſserit dari à parte rei nihil viſus? nihil à parte rei? quid implicantius?

Reſpondes; quod licet negatio, vel Priuatio ſit nihil poſitiuè, eò quia non eſt ens poſitiuum, eſt tamen ens priuatiuè, & habet eſſe priuatiuum, vel negatiuum, adeo-

adeoque datur à parte rei.

Inania verba. Quid eſt habere eſse priuatiuum, vel negatiuum? videamus, quid in definitione Negationis, vel Priuationis includatur. Negatio eſt carentia formæ, &c. carentia formæ eſt nè aliud, niſi non eſse formæ? non eſse, eſt nè aliud, niſi nihil? quodnam eſt igitur hoc eſſe, quod fingis in negatione?

Denuò replicabis, vtique Negatio eſt carentia, non eſse, & nihil formæ poſitiuæ, ſed non eſt carentia eſse priuatiui, vel negatiui.

Quid dicas non capio. Negatio non eſt carentia eſse negatiui; hoc idem eſt, ac Negatio non eſt negatio negationis, quod vtique eſt verum, quia ſi eſset negatio negationis eſſet ens poſitiuum, ſi ergo non eſt negatio eſse negatiui, ſequitur quod ſit affirmatio, ſeù poſitio eſse negatiui, ſed ponere, vel affirmare eſſe negatiuum,

iuum, eſt nihil ponere, & nihil affirmare, ergo velis, nolis ſemper dicis, quod negatio ſit ſimpliciter nihil.

Prob. hæc minor. Ponere, & affirmare negationem, eſt ponere, & affirmare carentiam, hoc non eſt aliud niſi affirmare non eſſe, hoc non eſt aliud niſi affirmare nihil, ergo affirmare eſſe negatiuum, eſt affirmare nihil eſſe in ſubiecto.

Vlterius. Negare, negationem, ſeù carentiam, eſt aliquid affirmare, v. g. negare negationem viſus, eſt affirmare viſum, ergo è contra affirmare negationem viſus, eſt negare viſum, & nihil aliud.

Claudo. Si negatio, præter illud non eſſe formæ, quod dicit, inuolueret aliquod eſſe, quodcumque illud ſit, vtique in definitione negationis, veniret hoc eſſe; ſed in definitione negationis non venit aliud, niſi carentia,

niſi

niſi non eſſe, niſi nihil formæ cuius eſt negatio, ergo præter hoc non eſſe, non dicit aliquod eſſe; Da mihi quæſo aliam definitionem Negationis, ſi habes, & ſic explicabis hoc eſſe, quod in negatione chymerizas.

*Soluitur.*

ILli, qui tenent dari negationes, & Priuationes à parte rei nolunt, quod Tenebra v. g. ſit aliquod exiſtens in aere, quaſi tenebra ſit quoddam velum obſcuriſſimum, & nigerrimum, quò aer operiatur, ſed intelligunt, in aere eſſe tenebram, nil aliud eſſe, quam in aere non eſſe lucem, & quia à p. r. lux non eſt, ideo dicunt à p. r. dari carentiam lucis, non quod carentia, vel abſentia, vel negatio lucis, ſit aliquid diſtinctum à non eſſe lucis, ſed quia cum à p. r. verificetur lucem non eſſe, hinc abutuntur terminis, & di-

dicunt Tenebra eſt; Tenebra habet eſſe abuſiuum, vt ipſimet fatentur. Vnde tota hæc quæſtio ni dicam quæſtiuncula, reducitur circa modum loquendi; Etenim in eo, quod eſt de re, ſcilicet eſſentiam Tenebræ non eſse aliud niſi abſentiam lucis, omnes conueniunt; an autem dicere poſſimus Tenebra eſt; aer eſt tenebroſus, vel potius, lux non eſt; aer non eſt lucidus, eſt lis de vocibus; exiſtimo nullum inconueniens ſequi ex eo quod dicamus Longinus eſt cæcus, aer eſt tenebroſus, non enim per hoc intelligimus, quod in oculo Longini exiſtat aliquid, quod vocetur cæcitas, ſed potius in eo non exiſtere proximam habitudinem ad videndum; cùm ergo in quæſtionibus de vocibus ſtandum ſit comunioti parti, & cum ſit comuniſſimus omnium loquendi vſus, ſcilicet hic, Aer eſt tenebroſus, Longinus eſt cæcus, &c. hinc non eſt redarguen-
dus

dus, qui ſic loquitur, dummodo ſentiat, vt ſupra; cæterum ſi ſentiret verè Tenebram eſse aliquid exiſtens, productum in aere, & habere verum eſse, ita vt ſit aliquid præter non eſſe lucis, apertè iudico argumentum inſolubile, & opinionem contra quam ſit, omninò falſam.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Laus Deo Deiparæque, Carmelitarum ſpecialiſſimæ Matri, necnon Protoparenti noſtro Diuo Eliæ.*